VERTVMNVS
SIVE
ANNVS RECVRRENS

OXONII, XXIX AVGVSTI,
Anno. 1605. Coram IACOBO Rege,
HENRICO Principe, Proceribus.

A Ioannenſibus in Scena recitatus
ab vno ſcriptus, Phraſi Comica
prope Tragicis ſenariis.

Hor. lib. 1. ep. vlt. 1.
Vertumnum, Ianumque liber ſpectare videtur.

LONDINI,
Ex Officina Nicholai Okes.
Impenſis Ed. Blount.
1607.

Augusto Hæredi Principi *Henrico Frederico.*

ANnus iam vltrò obijt, & vltrà abiit (Princeps Clarissime, quocunque sydere infra supremum Solem toto (quod aiunt) cœlo clarior) ex quo *Vertumnus*, anni Dominus, non anni modo, sed quatuor tempestatum, nec tempestatum, sed ætatum, nec ætatum, sed humorum vices diuisas physicè, vires diuersas ethicè, ad partes comicè, & ad personas commodè repræsentauit; loquentes silens introduxit. Nouus nunc annus oritur, & alter agitur, cum redit studium, vix cedit otium, vt qui tunc — *oculos auresque moratus* Principis, nunc instar strenulæ, & resalutet animum, & manus osculetur. Quid autem? medicus num prostat comicus? quidni? ἢ πρόπει, inquit ille: pudeat: quid ita? Vix cogitare leuia vir grauis debuit; sic cogitata scribere, scripta in vulgus edere Doctorem medicum non decuit. Ad praxin medicus, non ad poesin.

Hor. l. 1. ep. 13. 17

Suet. Ner. c. 49

— quod medicorum est
Promittant medici, tractent fabrilia fabri.

Hor. l. 2. ep. 1. 119

Quid inde? *Inanis tumulus deserta domus, vectigal poetices.* In non necessariis qui nimis diligens, habetur negligens, imò neglectus deficit in necessariis. Qui tandem ista? Sane ὁμότεχνοι, non solum φιλιάτροι, sed vt videri volunt φίλοι καὶ ἰατροί. Sed quæ nostra defensio? Oxoniensis Academia, vt regem Serenissimum, Doctissimum, Sanctissimum (vt bis ipsa, semel ipsius Soror, piæ

Plut. glor. Ath.

A. D. 1566. 1592. 1565. 1471. memoriæ *Elizabethæ*: & *Aberdonensis* olim συνάνυμοι illius Abauũ & *Margaretam* Daniæ) orationibus, disputationibus, spectaculis ad triduum exciperet, Comœdiam ex Aede Christi vnam, è Præcursoris Collegio exegit alteram. In illa docti desudârunt: quidni addo *Theologi*? quin & addo Doctores, vt nequid amplius: in ista exarandâ vnus: at is Doctor: at is medicus: Censores hîc si hîc fuissent, quid egissent? Nollent, si possent, Regi, Principi, Proceribus; Academiæ, Collegio, Sociis excipientibus & exigentibus, quâ possent, inseruire? —*Non tam mihi cornea fibra est.*

Pers. sat. 1. 46. Hor. l. 2. sat. 1. 5. Aix. Actam. Aristoph. D. Paldy. Eq. resp. med. D. Guin. opp. med. M. Androf. resp. phys. Ter. Phor. Prol. 5. Auson. ep. Eyd. 17. Aelian. var. hist. Plut. non sua. viu. Ep. Hom. Ody. ρ.

Non possent vt ne dicam, non dicent ipsi, nollent. Nam Patri, Matri, Patriæ quis non inseruiat? Vt igitur *Horatius Trebatio*,

Quid faciam, præscribe; quiescas. me faciam, inquis,
Omnino versus? aio. Peream male, si non
Optimũ erat: verùm nequeo dormire. Ἐγὼ τε, ἐ χρὴ, ἀλλα τ χρὴ, εἶναι.

E *Ioannensi* Collegio tres medici vt disputando præstitimus quod expectatum, sic vnus sustinui quod est impositum, Comœdiam perscribendo, *Oratione tenui, scripturâ leui*, sine ingenii acumine, & moræ maturitate, aut lima, vt ille loquitur. Musis, nõn mutis seruio: nec sum natus Sigæi, sed nec mihi. Λαθεῖν ζήσασα, Epicureum, & ἀνδρὸς & ἀφῶν. Παροιμιῶν malo φιλόμυθος, quàm ἰχνευμονίδων. *Pythagoricam* Οὐ γὰρ ἐπὶ ταῦμάσιν μόνον ἐπὶ πολλὰς ὕμνος.

Et cogitaui igitur, & scripsi grauis leuia: addo ἀνυπονόητον, inuitâ inuidiâ, & debui, & decuit. *Accedunt sine felle ioci, nec mane timenda*

Mart. l. 10. ep. 48. 21. L. 1. ep. 5. 7.

Libertas, & nil quod tacuisse velim.
Innocuos censura potest permittere lusus:
Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Auson. vt sup. Gal. opt. se. Thras. c. 32. Catul. epi. 16. 5. Phil. l. 55. 99. 3.

Plinius in poematis lasciuia, in moribus censura constitit: Etsi mores æstimare, non medicorum, sed Philosophorum *Galenus* officium putat. *Apuleius* in vita philosophus, in epigrammatis amator. Comicis seuera vita, læta materia.

Nam castũ esse decet piũ poetam Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Senator *Plinius* facit versiculos, parum seueros facit, audit comœdias, spectat mimos. Et mihi igitur,

Hor. art. poet. 322. Mart. l. 7. ep. 7. 9.

Incolumi grauitate iocum, tentare, —— et
Fas audire iocos, leuioraque carmina, Princeps,
Sit tibi: si lusus ipse triumphus amat.

Verum

Verùm quid homini tandem obiiciunt?
Quod apud Murtil*ẽ* Mœnio, *Iucundus, probus, innocens, amicus,* L.10.ep.76.5.
Linguâ doctus vtrâque, cuius vnum est,
Sed magnum vitium, quòd est poeta. Ex ipso quidni inferant?
Pullo Mœnius *algeat in cucullo,* *Cocco mulio fulget Tacitati.*
Ideoq; subiungant, *Qui Bauiũ non odit, amet tua carmina* Mœui. *Vir.ecl.3.90.*
At verò *Cura ducum fuerant olim, regumque poetæ,*
(Vt *Scipionis, Ennius, Lucilius; Augusti, Virgilius, Varius; Mecænatis Horatius; Alexandri & Cherilus*) *Ouid.art.am.l.3.401. Hor.l.2.sa. & ep.1.*
Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen *Vatibus.*
Verùm de me vt fatear, —*non sum me iudice tanti.* *Ouid. Met.l.10.613.*
—*ni mens diuinior, atque os* *Hor.l.1.sa.4.43.*
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
—*nec enim concludere versum* 40.
Dixeris esse satis; nec siquis scribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Quo nomine —*Comœdia necne poema* 45.
Quæsiuere; quòd acer spiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quòd pede certo
Differt sermoni sermo merus. —
Et isthoc ego nomine dum dedi operam, *Pes citus* —*& certus* vbique vt curreret, constaret vndique, vtcunque *Plautus, Terentius*, nostrates, exteri, neoterici, veteres, quos vidi, audiui, legi, Comici, & fluerent licentiùs, & canerent immodulatiùs, id vnum plerunque aucupati, vt in Iambum vel scazonta versus continuò desineret, nec tamen nimis diligens est visus mihi, *Art.po.252. Mart.l.2.ep.86.10.*
Nec stultus labor hic ineptiarum.
Curiosiùs fortasse quàm par erat, qui præter nostros puriores trimetros senarios, Terentii monometros, dimetros, tetrametros, trochaicos, catalecticos, acatalecticos, octonarios, nescio quos mixtos crepant, metiuntur. Quin ipse (arbitror) *Terentius* nil tale somniauit, vt qui *Menandrum* probè retulerit, propè transtulerit; cuius, quos vidi, sunt ad nostrum modum. Id ergo studium fuit, vt phrasin seruarem comicam, at metrum tragicum. *Scal.poet.l.7.p.2 c.1. Eras.Prisciã.Donat. Asp.Prob.Sulp. Varr. Cic. & Cæs. de Ter.*
Et hîc tamen —*Cynthius aurem* *Vellit, & admonuit;* *Vir.ecl.6.3.*
Versibus exponi tragicis res Comica non vult: *Hor.ar.po.89.*

Vt ego interpretor, huc non aspirat, non assurgit: sin assurgat, & deçeat; in melius. Nam vt sit soccus aliud, cothurnus aliud; at pes est idem.

80 *Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,*
93 *Alternis aptum sermonibus: — — & vocem Comœdia tollit.*
Hor. l. 2. ep. 1. 177.

At verò *Creditur, ex medio quia res arcessit, habere*
Sudoris minimum; sed habet Comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. dispeream, ni senserim.

Cic. Liu. Andronic.

Est illa quidem ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή, imago veritatis, vitæ communis & consuetudinis imitatio & speculum: & nostra certe non ἀρχαῖα, sed νία, non tabernaria, vix mimica, ferè togata, prætextata, trabeata: *Non fœnum hic in cornu, non-niger est; non-nigræ succus lolliginis. Aerugo mera,-* sed candor,

Hor. l. 1. sa. 4. 34. 85. l. 2. ep. 1. 156 l. 2. sa. 1. 82

Libertasque recurrentes accepta per annos, Lusit amabiliter.-

Hinc itaque obiiciat, *Si mala condideris in quenquã carmina, jus est*
Iudiciumque: esto; siquis mala; sed bona siquis,
Iudice condiderit laudatur Cœsare.-

Nec enim picturas vt Polygnotus, personas, vt *Homerus*, meliores; sed nec vt *Pauson*, *Hegemon*, peiores; sed vt *Dyonisius*, *Cleophon* volui effingere (si non effinxi) pares. Quin noua vt Comœdia probetur vndiquaq;, vt apud me statueram nil tale vnquam scribere ne carmen quidem) nisi qui possent imperassent, & deceret; sic (testor assistentes ornatissimos, *Paddeium* Equitem, Præsidem, Socios) & intra mensem proximum, & quasi agens aliud (nam interim, vt Regius ad Turrim medicus, effeci, cooptarer) & ex re indies nato consilio, effudi potius, quàm scripsi hanc comœdiam: id quod res ipsa indicat, pictura loquitur; testetur *Dorsettus* illustrissimus, cui Regis tædium minanti, spopondi in instanti quum vellet abrupturum, & posse cum decoro. Id enim ferat actus quisq; nouâ protasi, epitasi, catastasi, catastrophe. En καινοπρεπείας. Nec mutuatus (nedum furatus, vt plerique) vel hypothesin, vel episodia, vel παραβάσεις, imò ne scenulam, vix versum quidem, vel ab antiquis, vel modernis nostris, vel alienis Italis, quos noui probè. Per quos profecerim, ingenuè profiteor. Quin si maleuoli dicant Terentio.

Apol. Eras. l. 6 ap

Homines

Homines nobiles, Eum adiutare aſsiduèque vnà ſcribere.
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui vobis vniuerſis, & populo placent.

Ter. prol. Adel. 15

Guil. Padd. Eq. D. M.

Mihi *Paddeius Scipio*, & *Praſes Lelius*. Si *Scipionis* hanc autument, viri obruat authoritas, ne tam obtrectent. Si *Ariſtarchos* Rod. Huchenſon. Pratheoi. eſſe libeat, non *Zoilos*, Homeri negent potiùs, quàm dicant verſus malos; calamitates non colligant; non vitilitigent, non ſint poſticæ ciuitatum, cola corporum; non ſanguiſugæ, cucurbitulæ, non Suffeni, conuitiorum tubæ, morſus alpidis, ſetæ hyſtricis, veſparum aculei, flagella optimorum. Quin vt *Plutarchus* ex *Homero* Plut. de curioſ. de Hom. arcana philoſophiæ effodiant, ex *Ennio Virgilius* gemmas, e *Virgilio Scaliger* naturam alteram: vt plurimi ex *Arioſto*, *Taſſio*, *Spenſero*, et ethicas, et phyſicas allegorias: ſic hinc fortaſsis non obſcurè, non modò quæ *Hippocratem* Aphoriſmorum totâ ſectione tertiâ, et alibi, ſed alios ſapiant, et medicorum alia: in quibus *Melanct hon* velit, ego non nolim παιδαγωγικῶς interpretem. Melan. in Ter Hor. l. 1. ſa. 1. 24. ſa. 10. 14. ſa. 3. 55.

——ridentem dicere verum, Quid vetat? *ridiculum acri*
Fortiùs, & meliùs magnas plerumque ſecat res.
At nos virtutes ipſas inuertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare.——

Si quid ab *Antiſthene* ſit dictum malè, animaduertitur, tenetur memoriter; ſiquid boni, negligitur. Vix hoc effugiat *Galenus* ipſe, vix Langius, vix Scaliger, qui pendet ex *Hippocrate*, cum *Galeno* laudẽ, cum *Platone* lucem quærit. *At pater vt gnati, ſic nos debemus amici,* Laert. l. 7. in Zen Gal. ord. lib. c. 1. Lang. l. 2. epi. 1 Scal. poet. ep. 1

Siquod ſit vitium, non faſtidire.—— Nam ſi mihi —— Hor. ſib. 43

ἀγαθὸν ἢ νεγκλωτοτέρῳ ἐπιτρέπειν vt habet *Homerus*, quin & illis ſuccenſeret, Hom. Il. λ 793. Sab. l. 12. ep. 1. vt legit *Sabellicus*. *——Laudabor abunde, Non faſtidiſtus.——* Ou. triſt. l. 1. el 6 31.

Vellem in amicitia ſic erraremus.

Plin. 3. ep. 11.

Gratus error, ſi error, et neſcio quomodo, et decet, et delectat magis: error eſt *Plinio*, ſed eſt honeſtus: *——Cui ſi concedere nolis,* Hor. l. 1 ſa. 4. 140
Multa poetarum veniat manus, auxilio que, ſit mihi.——

Nam et ἀοίδιμον *Empedocles*, et ſummè phyſici *Aratus*, *Nicander*, *Lucretius*, *Serenus*, *Macer*, *Fracaſtorius*, *Portus*, et in hoc ipſo genere ille ille magnus *Scaliger*, miraculũ noſtri æui: cui bonæ famæ hirudines vociferantur, vt ne quod eis deeſt, aũſit nobis. Iu. Cæſar Scaæ. poet. Exſcent. 2 ep. 48.

Vel

Hor.l.2,ep.1.83. *Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ductum;*
Vel quia turpe putant — audire minora minorum.

Scal. ſubt. ex. 246.1. Hor.l.1.ſa.10. 88. Plut.tranq.an. Sum, ſiquid poſſum, profeſſione, ſi non profectu, Galeniſta: odi acerrimè, non eum qui caſtiget, vt *Scaliger*; ſed qui calumnietur, vt *Scaligero* qui inuidet. *Doctis & amicis* hæc qualiacunque *Arridere velim.* quia docti, doctos amant, ſi iure docti, vt ad Areium Soſtratus: quia amici, ſiniſtrâ non accipient, quæ dextrâ porrigam, vt de ſuis Theodorus: doctis facultas, vt ſincerè, amicis facilitas, vt ne ſeuerè cenſeant: illi, credo, amant ex iudicio; hi, ſpero, iudicabunt ex amore. *Dulce eſt deſipere in loco.*

Ho.l.4.od.12. vlt. Vir Geor.l.3. 455.ecl.1.2. Cor.Cel.re.med. præf. *Scit medicas adhibere manus ad vulnera paſtor;*
Silueſtrem tenui Muſam meditatur auenâ.
At Celſo nec agricola, nec gubernator, nedum medicus, diſputatione fit, ſed vſu: curantur morbi remediis, non eloquentiâ: hinc tamen maior medicus.

Ariſto.Plut. Hip.leg.t.1.præf. t.9.10. Gal.in progn. cõ. 3.c.2.meth. med. l.1.9.11. Hip.leg.t.3. Reuch.Hiſt.Bo. lib.2. Hip.eleg.t.3. Cic.diu.in Ver. Hip.med.eleg. præf. Gal.g.med. phil. Hip.præt.1.9. Nonn.Arſ.apo. τὶς δ' ἰητὴρ ἰήσεται τὸν ὃ τὴ πόλει;
Οὐ γὰρ ὁ μισθῷ & ὕβρι, ἀλλ' ὁ τέχνῃ.

Hippocrati *ὁι ἰητροὶ φάμα μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ παγχυβδαλοι.* Sed vt ne audiam ex illo ἰλιγγιας, ἀνιήτερος vel è *Galeno* nolim λογιατερος, vt barbam videas & pallium, at medicum non videas: nedum ἰατροσοφιστὴν. *Theſſalus Homeromaſtix*, à Gratiis & Muſis alienus; cui comes inſcitia, magiſtra eſt audacia: qui ridet quod audet neſcire profiteri, ſimulat ſe ſcire quod ridere non audet. Sub pœnâ capitis edicat Rex Scotorum, nequis aſſumat nomen medici, qui non in arte medica & diligenter ſtudioſus, & expertus diu, & multum legerit, & multa egerit, κατὰ λόγον, ὑπὸ χειρὸς, ἐπ' ἔτη δεκατρία. Ego medicus quin audiam, qui medicinâ per annos quatuordecim docuerim, decem publicè prælegerim, ferè viginti fecerim? Quid hic effecerim, in opinione, imò in ore aliorum commodiùs, quàm oratione meâ ponitur: id ſi non ſatis eſt, commemorando non augetur. Secutus certè (non dico, aſſecutus) non modò ἰατρεύματα ἀλλὰ τερπνὰ, ſed ἰάματα quæ redderent; nec modò φιλόπονον, φιλαλθῆ, φιλόπαιδα, ſed & χαρίεντα, ἰυπρόσωπον, ἰυσχήμονα, ἄξιον: det Deus ἰυτυχεῖν.

Se, ſua, iactent, venditent, pingant, deprædicent, promittant montes aureos, ἀναπυλίοντες, ἀναλφάβητοι, καθῆξιν ἀγνοοῦντες, ἐκ πάσης ἐλεμισίης, τύχης ἐνίκων: quibus quod ceſſit malè, terra

terra id operit, siquid successit, id Sol aperit. Sint isti πρακτικώτεροι, sed vt ἀρχιτέκτων τιμιώτερος τοῦ χειροτεχνοῦ, sic est σοφώτερος τεχνίτης τοῦ ἐμπείρου. At Maximilianus Imperator, confluentibus à medicis, mox sigillatim quærit, *Quot?* Respondet è multis nemo: tandem vnus (illustrior experientiâ quàm eruditione, senior, vix sanior) *Innumeros*. Cui Imperator, Ingenua confessio (magis quàm ingeniosa professio) *Cæsareum* te fecit medicum. (An meritò tu videris, sed pergas Imperator) at tu porrò experimentis per mortes abstine, inuentis ex fide vtere. Illi intelligant tanti se fieri, quanti se fieri volunt: mihi inprimis placet,

Esto, quod es, quod sunt alii, sine quemlibet esse:
Quod non es, nolis, quod potes esse velis.

Sit mihi ἐκ διδαχχόντος ἔργου λόγος, τὸ ποιηθὲν τεχνικῶς ἐκ λόγου Nam & requirit *Hippocrates* ποιέοντα: hinc hi hoc nomine cur me recusant? ad praxin cur vocant (vocent vtinam) vetant poesin, cum ποιεῖν, πράττειν, δρᾶν, προσαγορεύειν, *Aristoteles* dicat idem. Sed ne in istis morer (quos nil moror) volunt (qui bene volunt) medica; nolunt (qui me, se norunt) metrica à nobis edi. Ne medica (nam sunt ad manum plura volumina) in causa præli sumptus, extantium multitudo, nostratium in his neglectus: vt ista metrica, in Te amor, tuorum, meorum desiderium, typographorum facilitas. Quin etsi talia non digna tanto Principe, cui δοκεῖ ἐκ θεοῦ τιμή τις καὶ χάρις συμπαρέπεσθαι, dignata tamen C. V, & me, & hæc aspicere, &

Meas esse aliquid putare nugas,

Et pennas dare his passerculis, columbulis, inter Aquilas vestras:

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Nec tibi sit tibi mirum, modici quòd conscia vatis
Iudicium metuit nostra Thalia *tuum.*
-sed & paruæ est gratia Musæ.

Lætamur lætum aspexisse, *Instar veris enim, vultus vbi tuus*
Affulsit, populo gratior it dies, *Et Soles meliùs nitent.*

Probasse spectatum gloriamur: Satis est tuum tenere iudicium:
-magnum hoc ego duco, *Quod placui tibi.*

Si illi satis Equitem plaudere, ô quanto maius,
Principibus placuisse viris?

Ari. meta. l. 1. c. 1
Zuing. theat. vol. 3. l. 3
Plin. nat. hist. l. 24. c. 1
Val. contr. med. pr. l. 6
Dur. Pasc. aul. pol.
Hip. eleg. t. 6
Aph. 1. & passim
Ar. poet. c. 3, f
Xenoph. in Hier
Catul epig. 1, 4
Plin. l. 9. ep. 25
Virg. ecl. 8. 13
Mar. l. 9. ep. 27. 5
Hor. l. 4, od. 5. 6
Auson grat. act ad Grat.
Hor. l. sa. 6, 63
sa. vlt. 76
L. 1. ep. 27, 35

L.1.ep.17.35. Aur.vict.in Tit. Ael.Lamp.in Alex.

ô quanto maximum plausisse Principem; qui nobis plus quàm *Gratianus*, quàm *Titus*, quàm *Seuerus*; qui Iuuentutis Principes, spem superarunt, vota præcurrerunt, amores humani generis, in virtutum omnium exemplaria geniti, vt meliores nec historia contineat, nec optent homines. Nam *Alexandrum Seuerum* mihi videor, cum te video, videre, an natum bonum Principem, an factum optimum! cui nullus perit, imò nec transit dies, non dico sine linea, sed quo te non exerceas ad literas & ad militiam; quin aliquid mansuetam, ciuile, pium facias; quin doctos audias, vel *Vipsanum*, vel literatas fabulas, quibus pascaris, recreeris: cui non, vt *Vero*, *Ouidij Amores* semper in lecto, aut *Martialis Virgilius*, sed *Virgilius Plato*, vt *Magno Homerus* pater, Rex, Deus poetarum, non tam sub puluinari, quàm pectoris in scrinio: vt legas plurimùm vel *Ciceronis Officia*, vel *libros Platonis de Rep.* aut doceas scribas carmine vitas bonorum Principum: vt *Magnum*, aut *Marcum* imiteris, non satellitibus aut purpurâ, sed manu & mente *Pyrrhus*: imò sis viua *Pyrrhi* gemma, in quâ *Apollo* inter *Musas* cum suis insignibus. Et tui itaque, & exteri.

Al. Spart.in Hel. Ver. Melanc.chr.241. Plut.in Pyrrh. Mutel.mim.l.4.c 50. Hor.l.4.od.4.25. Plin.l.8.ep.13

Sensere, quid mens rite, quid indoles Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus In pueros animus Stuartos.

Sis *Dispensator* scilicet bonorum omnium. Habes nimirum præcunctis imitandum, natura cui te voluit simillimum.

Virg.Aen.l.3. 343.l.12.435.l. 9.641. Mart.l.9.ep.104 21. Vir.Aen.l.11,125 Pers.chro.741 Lipsi.ce.2,ep.86 ce.1.ep.75.et.46

Et Pater Æneas, & Auunculus excitat Hector: ille cũ inclamat
Disce puer virtutem ex me; - hic
Macte nouâ virtute puer; sic itur ad astra.
Ille *Templa Deis, mores populis, dedit ocia ferro,*
Astra suis, cœlo sydera, serta Ioui.
Hunc - *cœlo laudibus æquem Iustitiene prius miror, belline laborũ?*

vt ille retulit, *de Christidno secundo Danie.* Αἰμαπε εἰς ἀγαθὸν φίλον τίνας —
— πυθέσθαι ἐν Διὸς ἕρκει. Πατρὸς ἀρετὴν κεκρυμμένην.

ideoq; Πατρὸς ἀρετὴ μιμήσεως —

vt ille de minoribus ex maximo Poeta retulit.

Thesaurus tibi (vt habet *Galenus ex Platone*) κρεῖττον ἐστὶ τῆς πατρίδος ἀρετῆς κεκτῆσθαι θησαυρὸν ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ Σθένελον γε Ἡμεῖς τοι πατρὸς μὲν ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι

Gal.sua.ed.aut Plat.Menex

vt idem ex *Homero*. Hinc ne ex isto audias,

Πάντες γὰρ τοι πατέρες ὁμῶς πατρὶ πίλλ' ἐοικεν

Respondе

reſp onde, non tam *Helena*, quàm *Lacon puer* γνήσιος

Quid prohibet raris nomẽ inſſe meũ? Ov. ep. Hel.
Ἀμεῖς δ' γ' ἐσείμεθα πολὺ καὶ ἔτι. Plut. laud. ſu.

In te Natura, Virtus, Gratia ſic ſua congeſſerunt ornamenta, certamen initum vt videatur, Natura an ederet decentiorem, Virtus an redderet honeſtiorem, Gratia an adderet decori decus, ornatum honeſtati: vt illa extruxerit pulcherrimè, iſta inſtruxerit pleniſſimè, hæc illuſtriſſimè amplificârit, Naturæ, Virtutis, Gratiæ palatium, ſolatium. Te ergo

Πολλὸν ὅπλοις θνητὸς ἄξιος πάτερ. Plut. non ſua. vi.

Doctrina ſed vim promouet inſitam; dux viæ, lux vitæ: Epic.
Relliq; cultus pectora roborant; lumẽ frontis, numen mentis. Hor. l. 4. od. 4, 33

Ideoq; non Tuus modò, ſed *Patria Pater*, non modò, vt *Leonis Conſtantinus*, qui literas penè extinctas vindicauit, librũ de ſumma totius Imperij conſcripſit (quem in bibliotheca tanquam theſaurum ſeruant *Venetj*) δῶρον verè βασιλικὸν: ſed & adiunxit quaſi *Ioui Promethea*, *Agamemnoni Neſtora*, *Hieroni Simonidẽ*, *Pericli Anaxagoram*, *Dioni Platonem*, *Alexandro Ariſtotelẽ*, *Scipioni Panetium*, *Polybium*, *Auguſto Muſam Medicum*; imò vt *Perſæ Prin-* Plat. Alcib. 1
cipi ſapientiſſimum, iuſtiſſimum, temperatiſſimum, fortiſſimum;

Μυθῶν τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τ' ἔργων non modò ornamenta, ſed Hom. Il.
verè adiumenta. A te ſperamus igitur, in te ſpectamus βελτίονα ἐκ Ariſt. pol. l. 5.
βελτίονος, φιλομαθίαν Ἰſcoraticam, πολυμαθίαν *Ariſtotelicam*; acumen *Chryſippeum*, vigorem *Carneadeum*, *Cyri* φρόνημα, *Periclis* εὐτονίαν, *Ageſilas* σωφροσύνην, *Philippi* ἐμπειρίαν, *Agamemnonis* διοχλείαν, *Achillis* μεγαλοψυχίαν: non modò parium vt ſuperes, ſed *Henricorum* imparium laudes exæques nonus; ſis doctus, liberalis, magnificus, politicus, bellicoſus, pius, prudens, magnanimus: *Henricos* Lucan. l. 1, 120
& cum cogitas *-ſtimulos dabit æmula virtus.*

Vt tua te commoneant, candoris *Lilia*, *Lecnes* fortitudinis, *Muſarum Lyra*; nec *Liliorum* nexu ram iungas diſtantia, quàm tua Achai. Roſ. 1, 7
vnias, vnita tuearis *Leonum* robore, vtraque temperes concentu Eb. Stu. Iou. embl
Lyræ: ſis (quaſi *Frederici Maximiliani*) Imperatoris Pacifici Pet. Meſſ. vit
Inuictiſſimus filius: ſis *Druſus* denique *Paterculi*, tot tantarumq; Imp. Vel. Pat. l 2
virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria Plin. l. 8, ep. 14.
percipit: vt mores Principis exempla domeſtica te doceant; quod fideliſſimum eſt *Plinio* percipiendi genus.

Ou. ad Liu. 351 *Ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus:*
Nec vox missa potest Principis ore tegi.

Hor. l. 1 ep. 1. 59 Nec nihil est, quod *-pueri ludentes, Rex eris, aiunt, Si rectè facies*

Vir. Aen. l. 6. 884 At illa pluris, seu *Virgilii*,

878 *Tu Marcellus eris*-ensis patriæ, quin & *Metellus* clypeus;

Ecl. 4. 17 *Nullo se tantum tellus iactabit alumno:* seu Sibyllæ,
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem: & Pollionis cætera.

Habetur itaque, Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε, τρὶς ὄλβιος ὅστις ἀκούει,
Μυρίσεις δ' ὁ φιλῶν, ὀθάνατος δ' ὁ σύνων.

Mur. var. le. l. 10 c. 18 Te igitur, *Per te per quite talem genuere parentes*

Virg. Aen. l. 10 597 (de illo *Augusto*, *Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatemur*

Hor. l. 2. ep. 1. 17 de hac *Liuia* *Ambiguum nato dignior, anne viro*)

Ou. Pont. l. 4, el. 13. 30 obtestor *-te quoque dignum* *Finge Deo:-*

Vir. Aen. l. 8. 364 Talis vt esse cupias, addo, si cupias, eris, si eris
Semper honos, nomenque, tuum laudesque manebunt.

L. 1. 614 Ecl. 5. 78 Interea *Tene magis saluum populus velit, an populum tu,*

Hor. l. 1. ep. 16. 27 *Seruet in ambiguo qui consulit & tibi, & Orbi.*
Serus in cœlum redeas, diuque

L. 1. od. 2. 45. *Lætus intersis populo Britanno:*
Neue te nostris vitijs iniquum
Ocyor aura
Tollat: hic magnos potiùs triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps:
Neu sinas hostes equitare inultos
Te duce, Princeps.

Ita vouet, qui ista. *D. D.*

C. V.

Obseruantissimus,

Matthæus Gwinne.

Ad Illuſtriſsimum *Montgomeriæ* Comitem, Dominum *PHILIPPVM HERBART*, Thalia.

REGI *chare* Philippe *Comes, cui* Meſsis in Herba,
Te Montgomeriæ *Comitem tibi grata Thalia*
Patronum inuitat, recolit, reſalutat, adorat.
Illa verecundo rogat interfuſa rubore,
Quæ placuit ſpectata ſemel, relegenda placebit?
Illam (petierunt (meminit, memorat q; triumphans)
Delitiæ humani generis, decora orbis & Orbis,
Interris ſuperi, clariſsima lumina mundi:
Rex, inſtar *Iouis* Auguſtus, *Ioue digna propago*
Princeps, *hic iuuenum miraculum, at ille virorum.*
Speciarunt Comites (Comitatus Apolline *dignus)*
Muſarum in primis Præſes Dorſettus Apollo.
Inde Houardorum *tria nomina (numina dicam)*
Conſilio, imperio inſignes, & munere ſummos
Northantona, Notinghamia, & *Suffolcia nouit:*
Portubus ille præeſt, hic nauibus, ædibus alter.
Inde (ſed in verſus, veniam date, ſi eadat ordo
Inuerſus, ſcenæ vix ſedit in ordine quiſquam)
Intererat magis, an præerat (nam chara præeſſe
Cura dedit) cui clara dedit Worceſtria *nomen.*
Moribus *antiquis* Rutlandius *adfuit illis.*
Comberlandius *hic aderat peramicus, at illum*
Mars magis, an Muſa deflent; quòd amicus obiret.
Inde Triſantoninus; *& inde* Deuonius *Heros;*
Illum Dij ſupereſſe velint; hunc abſtulit æther:
Hic fuit, ille manet (maneatque) columna Poetæ.

Mecænas exinde meus, frater tuus, alter
Phœbus, Pembrochius, *cui chartula seria quondam*
Arte annos tredecim, Medicinam ex more legentis,
Talia de Mundo scripsit maiore, minore,
Qualia nunc scenæ retulit ludendo Thalia.
Tu Comes *ante omnes comis, quasi Cyprin Adonis,*
Lætus spectasti, audisti (nisi fallor amore)
Lætus; at affectu (verum qui monstret amorem)
Ne placeat dubius, donec placuisse videres.
Hoc inter plures animo Danuersius *Heros,*
Atq; Effinghamius, *spectasse, audisse notati,*
Ignoscant alij maiores, siue minores,
Scoti, Angliue; Duces, Comitesue; Barones,
Siue Equites; clari censu, sensuue; fauentes
Musis, quos Musa recolunt, celebrantq; vicissim;
Si quos non nôrit, reticet venerando Thalia.
Ignoscant pariter Comitissa, sydera vestra,
Et desideria, et nostri spectacula cœli,
Et domina Illustres animorum (dicam?) an amorum,
Spectari magis, vt digna, an spectare parata,
Si quas ignorat, fileat pudibunda Thalia.
Præ reliquis, orbes velut inter Luna minores,
Inter Ephydriadas Thetis, inter numina Iuno,
Vnio, *gemmarum gemma, et Dea prima Dearum,*
Anna, *antè et retrò, velut annulus, instar amoris,*
Regibus orta, parens Regum, Regina Britanna,
Expectata, vtinam spectasset, lætaq; sedillam
Melpomene pridiè lassârat, laserat Aiax,
Postridiè Euterpe expectans delimiit Arcas,
Illa Latina minus, magis vt vernacula mallet;
Illa licèt magis, hæc minùs apta Scholaribus essent.
E reliquis simili de causa absentibus, ille
Ille Sarisberiæ *Comes, Hermes Angligenarum,*
Lingua, caput, cor, mens, manus; à Ione proximus Heros;

Illa

Illa, illa excellens Bedfordia Lucla, *lumen*
Femineum, Muſis columen, patrona Poeta,
Spectaſſent vtinam: nam ſi quibus arte placere
Noſtra Thalia cupit, cupit illis illa placere
Quamuis vix vllis queat illa placere, nec illis.
Nec te Summe ſilere poteſt, cum narrat amicos
Muſarum illuſtres, ô Cancellarie: *nam ſe*
Debet Egertono, *et ſua quantulacunque Poeta.*
Sed nec adeſſe tulere negotia maxima Regni,
Nec grauitas, tanto leuis vnde Thalia placeret.
Tum placuiſſe tamen Tu *teſtis, an author, an actor;*
Nam placuiſſe tibi tribuit: ſed enim rogat vltrà,
Quæ placuit ſpectata, audita, legenda placebit?
Te tacitura Thalia iubente, iubente legetur.

Thalia, cur non comico verſu, rogas?
Heroa, *par, heroico metro roget*

Ad eruditiſsimum Collegam Doct. Guinne. In detractores poeſeos.

TE laudem, an tuear, mi Guinne? *tuebor amicum,*
Vt meritum: tibi qui detrahit, ille mihi.
Me videar laudare, tuam ſi laudo Thaliam,
Obſtetricatus, dum tibi Muſa parit.
Author eram vt pareret, ſimul adſum, vt prodeat, author:
Hinc me, qui Medicum te negat eſſe, neget.
Nec pudet artificem ſocij Diomedis Vlyſſem:
Nec piget accincti iudicij ingenium.
Ingenione tuo (dicam,) vt Iouis *orta cerebro*
Prodiit, & placuit, iudicioue meo?
Quæ placuit ſummis, aliis cur diſplicet? euge,
Perge, poeta bonus, nec minor hinc Medicus.
Quantus ſis Medicus, teſtor, quin miror, vt idem
Tantus ſis medicus, támque poeta bonus.
In Μικρόκοσμον *age vt pergat* Μικρόκοσμος, *amorum,*
Humorum, morum, viuidus, arte, iocis,

Guil: Paddy Eques, Doctor,
Regius Medicus.

Idem ad Comœdiam.

AVdiui, vidi (inuideat, qui non videt) illa
Facta, an ficta, hominum, an temporũ. vtrumq; ſimul.
Quatuor humores, ætates quatuor, Anni
Vertentis *refluo quatuor orbe vices,*
Enumeraſſe ſatis; plus eſt phyſicè, ethicè, in vno
Dramate compto horas edocuiſſe duas.
Actor erat Μικρόκοσμος, *erat* Μικρόκοσμος *arena.*
De natura hominis ſic docet Hippocrates.
Delectando, docendo ſimul punctum omne tuliſti:
Quod vidi, audiui teſtor; at iſta probent.

Collegæ ſuo doctiſsimo D. Doct. *Guineo.*

CIrculus eſt rerum Mundus, maiorque, minorq;
De quibus hiſtoria, & fabula, dicit idem.
Aetas Vere viret, ſanguis fluit, omnia florent,
Pullulat herba, tument ſemina, ridet ager.
Aeſtuat hinc illinc Aeſtate, ætate ſecundâ,
Sole extrà, interiùs bile coquente iecur.
Sed iuueni quæ flaua, viro atra, acidiſſima bilis
Autumno: inde ſenẽ phlegmate inundat Hyems.
Seria ſunt iſta an dicam, an tibi ſcenica, *Guini*!
Fabula cui tabula eſt, hiſtrio & hiſtoria.
En adoleſcentes, iuueneſque viroſque, ſeneſque,
Vno verbo homines, anne ioco, anne loco!

Scripſit Ioa. Craigius
D. & Regis Medicus.

ΦΟΙΣ, ὁ ποιητῶν καὶ μόνος ἰατρῶν Θεὸς,
Λέγε μοι ποιητὴν ἰατρὸν ἠδελφισμένον.
Καλὸν, ὁ ποιητής. κάλλιον, ἰατρὸς καλός.
Κάλλιστον, εἷς ἀμφότερος. οὐδ' αὐτὸν βλέπει
Μᾶλλον δὲ ἰατρὸν· ταῦτα τε ποιητὴν λέγει,
Καὶ τ' ἄλλα τὰ γραφέντ' ἐμμέτρως, πεζῶς, καλῶς,
Χαρίεντα δ' ἰατρὸν ἔργα. Μωμεῖσθαι ῥᾷον
Ταῦτ', ἢ μιμεῖσθαι, κἂν πάρεγά τοι δοκῇ.
Ταῦτ' ὁ δυνάμενος δεινὰ Ῥωμαϊκῶς γράφειν,
Ἑλληνικῶς τ' ἐδύνατο. τε δὲ τούτων ὑπερ;
Φιλέταιρον αἰνεῖν. ὃς φίλος ἑταῖρος, φιλῶ.
Θάρσει Γοῦιννε, σὺν Θεῷ, ποιεῖ, πονεῖ,
Ἄφθητον ἔνες, οὐκ ἄφθονον. κέρδος, κλέος.

Θῶμας ὁ Φμάρριος.

PERSONAE.

VErtumnus *silens. Hic Deus intererat, quia dignus vindice nodus Incidit.*

Ver.
Aestas.
Autumnus.
Hyems.
} 4 *Tempestates inscena repositæ.*

Calendarius. *Prol. Epil.*

Eutrapelus
Picrocholus
Phantasticus
Gastrimargus
} 4 *Humores.* *Sang. Choler. Melanc. Pituit.* } *Pæ*

Microcosmus *Act. 2. Ver. Adoles*
Aesopus *pædagog.*
Oudenos *puer.*
Traquitantos *glorios.*
Oppidanæ Hocagitrices 6.
Flora.
Hebe.
Euphrosyne
Earine.
Primauera.
Amaryllis.

Therine *mut.*
Corybantes 6. *mut.*
Carna.
Act. 3. Æt. Iuuen.

Oporine.
Bacchus.
Thyrsigeri *Cantores.* 6.
Act. 4. Autumn. Vir.

Chimerine *anus.*
Hector. *puer.*
Act. 5. Hyem. Sene.

Author ad Librum.

I liber Liber: an cenſura verenda? ferenda.
Vade, aude: acri aptos pro ſale redde ſales.
Ægide cinctus prodis, imò *Agide* rectus:
Alcides ore, an *Pallada* fronte geris.

Spectantum, Actorum deeſt gloria: ſcripta legendo eſt.
Scriptum, actum hebdomadis par quid in Orbe tribus?

Ita conteſtor,
Io: Sansbery Ioannenſis.

Aptum Proſcenium ad Tempeſtates quatuor. Palma in medio ramis duodecim, lucernis totidem. Tympanum ad formam Zodiaci, Solis imagine per Dodecatemoria, tria ad actus ſingulos poſtremos percurrẽte. Vox, actio, perſona, geſtus, ſcripto non poſſunt exprimi. Imaginare.

Vertumnus, collocatis in ſcenâ Tempeſtatibus, elinguis exiens, protrudit Calendarium.

Act 1. Sc. 1.

CALENDARIVS, VER, ÆSTAS, AVTVMNVS, HYEMS.

CAL. VErtumne, cur protrudis? agnoſco, potes
Seruum herus: at iſto tempore haud decuit; adhuc
Vix auſpicati nomina Calendario
Aſtronomj, abortum iam facis; monſtrum paris,
Informe, formis quod ſcatet variis, nigris,
Albis, rotundis, cubicis, multis, malis;
Monſtrum ipſe maius forte, cuj natæ duæ
Alba, atra, ab illis plurimæ; et quæq; indies
Moritur, et oritur inuicem; & natj tibj
Bis ſex, Geometræ, Chronologi, Arithmetici,
Aſtrologi in vſu, Medico, Iuriſtæ, Aulico
Artifici, Agricolæ. Monſtra quis tanta explicet?
Verum age, quid agitur? prodij; at quorſum? quibus?
Proh Iupiter? quid intuor, ſiccus, valens?
An Almageſtum intueor, an mappam Hondij?
An Inane, plenum, informe formatum Chaos?
Quid enim? poteſt ne fieri, vt vno tempore
Inſtent, vt Inſtans, Tempora annj quatuor?
Præſente ſpirent quatuor ventj ſono?
Elementa in vno immiſta conueniant loco?
Corpora, vel vmbras video? num video meos
Dominos minores, ore, re, more inclytos?
Viret ille, vix vir; ille, velut Ætna æſtuat;
Autumnus ille, vt autumo; hunc rheuma indicat,
Quod Bruma ſit. deliro, per ſuperos, precor

Dies. Nox. Menſes.

Qui ſitis expedite; num ſitis, ſciam.
Quid ſit, loquimini, ſomnio, an video vigil?
VER. *Vigilat.* CAL *Opinor.* ÆST. *Vigilat.* CA. *Et opinor.* AVT. *vides.*
CAL. *Et opinor iſtud.* HY. *Non ſumus.* CAL. *Domini mei?*
VER. *Sumus.* CA. *Minores.* AVT. *Sumus.* CA. *et.* AVT. *at quid?* CAL. *ſi*
Quærere, quis huc vos? VER. *Nempe* Vertumnus *Pater.* (*licet*
CAL. *Et me: ſed vt ſit, qui ſoleo vobis vices*
Seruare, tum ſeruire, vos videam ſimul?
AVT. *Sic ille voluit.* CAL. *Voluit? id cauſæ ſatis?*
ÆST. *Et potuit.* CAL. *At cur voluit?* VER. *Huc ille audijt*
Venire Regem, *cui Pater rerum ſuas*
Submittit alas, conſecrat fruges, vouet
Quod annus, hora, nox, dies, menſes valent.
Huc ergo nos produxit, vt iunctis ſimul,
Horis duabus, quicquid aut Anno integro,
Aut hominis æuo, comicis aptum iocis,
Oſtenderemus ſcenicè. hoc opus, hic ſcopus.
CAL. *Credo equidem & illud, me quòd eiecit foras,*
Egiſſe dominum. AVT. *Crede.* CAL. *Sed num me putat*
Aptum hiſtrioni? num mej Aſtrologj *ferent,*
Ridiculum vt aliquid proferam, in ſcenam ferar?
ÆST. *Id aſtra curent. num noua* Calendario
Ridicula? facies. CAL. *Non potero.* ÆST. *Facies, volens,*
Nolens. CAL. *Volentj inepta, nolentj magis.*
ÆST. *Adeoq; quicquid oneris incumbit tibi.*
CAL. *At nihil honoris.* AVT. *Iſidem vt pulchrè feras.*
CAL. *Vt potero?* VER. *poterit.* CAL. *Solus?* VER. *Et ſolus: ſed et*
Tu mutuare quicquid eſt noſtrum. AVT. *Sed et*
Vertumnus *aderit ad manum, vt vertat citò*
Formas in omnes, te, tuos, & ſe. CAL. *Placet*
Herus actor. HY. *Audin? ſis memor, ſi obdormiam,*
Cum veniet ad me fabula, vt ſomno excites.
CAL. *Meminero.* HY. *Et audin? ne meos ſileas iocos,*
Quos feſta celebrant ad focos, audin? CA. *Probè.*
HY. *Et audin? adſit mihi* Ceres, Bacchus: Venus
Frigeat; et audin? CAL. *Audio, obdormi interim;*

Sed

*Sed adhuc (*Hy. *Sed audin?* Cal. *Tædio es; dormi) mihi*
Videtur aliquid deesse, subsidiis opus.
Ver. *Quibus?* Cal. *Unus vni vt seruiam domino, sat est:*
Qui Microcosmo seruiant, plures volo:
Volo Parasitos. Avt. *Bene mones: sed qui magis,*
Quàm passimes, homini adulentur, suæ?
Vertumnus *aptos dedit, et emisit simul,*
Vtramq; bilem, sanguinem, & phlegma humidum.

Act. I. Sc. 2.

Calendarivs. Evtrapelvs. Picrocholvs. Phantasticvs. Gastrimargvs.

Cal. *Adulterinas dixerim has chartas, quibus*
Vno ictu oborta paria nebulonum duo.
Pic. *Euge nebulonum summe, quo cornu precor*
Nido exiisti? χᾶρις tam clarè sonas.
Pha. *Adulterinas potiùs has chartas putem,*
Quæ solitæ habere quatuor, quintum ferant.
Gast. *Grauatur alios fortè nebulones pares;*
Vt singularis, solus, hic primas ferat.
Evt. *Et solus esse, & primus incassum cupis:*
An tu secundus ne mini, an nemo tibi?
Cal. *Hæc pugna de nominibus in scholas eat.*
Nunc res agendæ. Pic. *Quæ?* Cal. *Graues.* Evt. *Imò leues*
Leuibus. Pic. *Quid autē?* Cal. *sinito.* Pic. *proloquere.* Ca. *haud sinis.*
Pic. *Haud cinis, at ignis ero.* Phan. *Calendari caue.*
Cal. *Nimiùm* Picrochole *pungis.* Pic. *Et aculeum vide.* *Pugionem.*
Cal. *Apem notare volui, & in vespam incidi.*
Sed pax sit. Evt. *Agedum.* Cal. *Subsidia domini mei,*
Vestriq;, vestra postulant, vires suas
In Microcosmum vt exerant, vestrà manu,
Vobis ministris: cui per ætatem, vt decet,
Seruire vestrum quisq; mandatum putet.

EVT. *Seruire cuiquam vile; dominemur magis.*
PICR. *Inueniet, vbi nos excipit, dominos ſibi.*
CAL. *Id vt poteritis agite: quid Phantaſtice*
Imaginaris? PHAN. *Viſus ego iam nunc mihi*
Ouum repletum rore ſub May Idibus;
Me Phœbus *igitur traxit in nubes: volo,*
Teſtudo quaſi, volare quam docuit Iouis
Armiger: ab alto denique, vt concha Æſchyli,
Ouum roſacea plenum impingit. *Cado, cado caput in tuum: heu frangor miſer;*
Mihi teſta fracta eſt, ros fluit, pery. CAL. *Male*
Pereas: ab alto fabula huc recidit? bene eſt.
PHA. *Cur deuocaſtj e nubibus? merito luis.*
CAL. *Vix eluo, quâ proluor: ſed nunc tibi*
Vbi Gaſtrimarge *eſt animus?* GAST. *In patinis meis.*
Suauiter olere videor hiemales dapes.
Nares ſagaces habeo. EVTR. *Quaſi Sus, aut Canis.*
Naribus id opus eſt, gutturi vt fiat ſatis.
GA. *Vbi vbi eſt, prope eſt, odore præ cunctis bono.*
EVT. *Sed heus tu, odores non alunt.* GAST. *Hâc, hâc eo;*
Hâc olet. EVT. *An obolet?* GAST. *Dominus en dormit; bene eſt.*
Obbam Hyemi ſurripit. *Dormiat in aurem vtranq; dum prædam aufero,*
Vt Rheſo *& Vlyſſes; Vitis, & vitæ ô lepos!*
O Nectar, ô lac Veneris, ô Liber maſis
Omnibus vt omnes liberas? vt te oſculor!
Amplector, inhio, viſceribus imis amo!
Suauior & ambrâ, & Cinnamo, & ſtacte, & roſâ.
O ter beatam Hiſpaniam *hoc vno bono.*
EVT. *En vt cloacam proluit, et in ſe merum*
Ingurgitat, profundit in barathrum ſuum?
CAL. *Bibit arcus hodie ſtrenuè, & certè pluet.*
Nũλος. 50. 5. 10. 30. 70. 200. 365.
GAST. *Quid hoc? in imo vaſe* Nũλ *ſcribitur?*
CAL. *Vertumni vt eſſe noueris, cuj ſunt dies*
Totidem, quot illic literæ Græcæ *ſonant.*
GAST. *Monet affluenter indies Nilum ebibam.*
Age, Nilus ergo perluat Ægiptum meam,
Defluat ab iſthoc oſtio in Rubrum mare.

PIC. *Hoc*

PIC. *Hoc vrge.* EVT. *Res eſt alia & alia.* PHA. *Ex hoc in hoc.*
GAST. *Mea vita;* (*vita in humido & calido*) EVT. *Bibat*
Qui viuat ergo. CAL. *Sit modus.* GAST. *Vino modus?*
Malè moderaris, quot bibi? CAL. *Tot quot manu*
Digiti. GAST. *Eſt bibendum more & ore* Græculo:
Καὶ πίνε πίνε, κὴ τρὶς πίνε, ἡμιτέταρτον. Saltans canat.
CAL. *Deſiſte.* PIC. *Siſte.* GAST. *Si potero.* PIC. *Si non, cade.*
CAL, *Seni relinquas aliquid.* GAST. *Eſt hoc lac ſeni.*
Seni ſed vt ſint cyathi, hos infans bibam.
Seni repoſitum eſt horreo; at niſi in hoc mihi:
Illi inde promus, hic mihi condus. quid eſt?
Coelum volutat, terra monet, vterum ferunt
Nubes, & illum vix ferunt grauidæ nimis.
CAL. *Nonne pluiturum dixeram? obdormi cum hero.*
Quisquam-ne ſeſe inebriet hoc monſtrum videns?
In tetrachordo interea διατεσσάρων
Muſica canenda eſt. EVT. *Imo πανίνη, hic vigil*
Vbi erit, ab omni parte διαπασῶν ſonet.
CAL. *Placet.* PHA. *At vt aptius quiſq; quod par eſt agat.*
Inſignis aliqua cuiq; figenda eſt nota.
CAL. *Placet ordo; vt ergo dum ſuas mutat vices*
Vertumnus, Anni *bene* Recurrentis *notam*
In occipitio facile ſpectandam geret,
Serpentem, in ore cauda cui clauſa inſidet.
Eviaυτὸς annus quòd recens in ſe redit.
Ideoq; elogium commodum, ἐν ἰαυτῷ, feret.
Sic (criſta ſua cum cuiq; caſſita hæreat)
Papilio criſtæ Eutrapele *conueniet tuæ.*
EVTR. *Papilio; quid ita?* CAL. *Veris es verè aſſecla;*
Ludis, iocaris, hâc leuis, & illâc volas,
Lucerna vt alas ſæpe conſumat tuas.
Sed tibi Cicada Picrochole *in criſtam datur.*
PVR. *Cicada? quid ita?* CAL. *Æſtatis es tubicen, niger*
Vocalis, alam ſiquis arripiat tuam
Circumſonabis. Criſta tibi Phantaſtice
Veſpertilio ſit. PH. *Quid ita?* CAL. *Quia lucem fugis,*

Nec moribus cognate, nec volucribus.
Heus Gastrimarge, *crista sit gliris tibi.*
GAST. *Glis? quid ita?* CAL. *Dormis; hieme pingue scis; mero,*
Somno sepulius. GAST. *Me hic ego sepultum velim,*
Sopitus, apte positus. CAL. *Et potus: sed est*
Nunc ambulandum, quisq; cum partes suas
Teneat ad vnguem, accingite, vt viuum suis
Coloribus pingatis humanum genus,
Ætate propriâ. EVT. *Num Vitulus vt sit mihi?*
PIC. *Mihi Leo?* PHA. *Mihi sit Simius?* GAST. *Porcus mihi?*
CAL. *Habetis; & in his triste, graue, solidum nihil.*
EVT. *Tristia iocosos non decent, grauia leues.*
CAL. *Aut solida stolidos, quatuor scena actibus*
Claudatur. PIC. *At qui conuenit, vt vno impetu*
Quatuor agantur fabulæ? CAL. *Auxilium feret*
Vertumnus, *inter cæteros actor filens.*
Ille Microcosmum vertet, vt fas, vt decet,
Vt sit adolescens, iuuenis, & vir, & senex,
Et subito, & aptè: vt vita, sic est fabula.
Sic Annus est, vt annulus, totus teres.
Tu flore, tu feruore, tu flexu, arbiter,
Aut administer, tuq; nisi dormis, seni.
Ite, ite fortes. quisq; tueatur vices. Exeunt parasiti 4.

Act. I. Sc. 3.

VER. HYEMS. CALENDARIVS.

VER. *Mandata, & acta probo Calendari tua.*
Bene iacta fundamenta. CAL. *Quin iacta alea.*
Fortè & Venereum iecimus; at heus, heus Hyems.
HY. *Dormito.* CA. *Sed audin?* HY. *audio.* CA. *quid actũ?* HY. *nihil.*
CAL. *Imò aliquid.* HY. *Et quid? quicquid est actum, probo.*

CAL.

CAL. *Surrepta vina.* HY. *Non probo.* CAL. *A ſeruo tuo.*
HY. *Quo?* CAL. *Gaſtrimargo.* HY. *pendeat.* CAL. *vinj amphora,*
Bonoſus *Imperator.* HY. *At ſitio.* CAL. *Sitim*
Somnus leuabit. HY. *Frigeo.* CAL *E calido ſitis*
HY. *Vigilo.* CAL. *quid opus eſt?* HY. *num vices inſtant meæ?*
CAL. *Nondum; ergo dormj.* HY. *Dormio.* CAL. *noctem bonam.*
Ecquid monetis amplius fratres, patres?
VER. *Tibj conſulendum moneo* Vertumnum *Patrem,*
Ecquid requirat. CAL. *Bene mones: tu te interim*
Tuoſq; fratres barbito oblectes tuo. *Ver pulſat, citharam,*

Act. 1. Sc. 4.

REVERSVS CALENDARIVS.

CAL. *Vnum eſt agendum ſerium, cui vos Pater*
Iubet pariter adeſſe: Vigilandum eſt Hyems,
Omnes vt Vni debita, vt par eſt, ſacra
Faciamus, Vnus omnium quòd ſit Pater
Patronus, Imperator: hunc ergo ſimul,
Veneremur ore, corde, et inflexo genu.

Salue Britanni columen Imperij, ſolj
Lumen, amor orbis, proximum Solj caput,
Populi Ara, Regum gemma, regnorum, Vnio;
Benignitatis regiæ viuum decus.
Cuj Fama pennas, Veritas palmam ſacrat,
Æternitatem Muſa; quo maius nihil,
Nihil ſecundum, aut ſimile; quo melius nihil
Dedit benignus, vel dabit terris Deus.
Dignetur humiles ſumma Maieſtas iocos.
Iocoſa, licet humilia, vel ſummis placent.
ANNVS RECVRRENS, numinj numen fauens,
Tibj feſta, ludos, quicquid annorum eſt, vouet:

Quia

Quia thura deſunt, vel molâ ſalſâ litat.
Tibj agna placeat, non minus cæſo boue.
Nihil a Poeta, nihil ab Hiſtorico trahit;
Ab Ethico aliquid, aliquid a Phyſico ſapit,
Vt ille mores, hic vt humores notet.
Tibj *Palma* ramis pulchra bis ſenis viret.
Tua vita vota noſtra; quæ ſic ſunt, tuis
Annis vt annos addat e noſtris Deus.

Act. 2. Sc 1.

EVTRAPELVS PARASITVS.

EVTR. *EN, vere primo Phœbus ingreditur domum*
Phryxeæ Arietis, quam minus gratam putat
Vulcanus, *vt quâ iungitur* Martj Venus.
Sol *intuetur, et tuetur*, Iupiter
Ridet, videtq́, recreat amantes Amor,
Creatq́, Maiæ filius ſic vult mori:
Nec ipſe pugnat Mulciber, *nec pungitur;*
Nec ære graciles, ſed graues auro ſuæ
Limat catenas coniugi; nec retia
Fabricatur, at reticula, quæ exornent caput.
En ſylua foliji pulchra, terra floribus;
Inde color oculos ducit, hinc nares odor;
Et hæc, et illa mulcet vtriuſq́, incolas.
Aſpirat eece Zephyrus, vt cygni canant:
Cygni, poetæ; Zephirus eſt Regum fauor;
Fauonius, qui flores et fructus dabit.
Audite amantes, lingua Philomelæ, *modos*
Elinguis olim, quàm melodioſos canat,
Quibus amor, angor, plauſus et planctus ſonat.
Progne. *Audite matres, dum ſtruit, paſcit, volat,*
Piæ ſororis, impiæ matris ſonos,
Quæ ſigna plumis ſanguinis fuſi gerit.

Fugite

Fugite, fugate vtriq́ Cuculorum genus,
Cramben recoctam, cum dolis vim, vi dolos.
Nec igne arator gaudet, aut stabulis pecus;
Trahit arma miles, machina carinas trahit.
Terra tumet, Æther coniugis gremium suæ
Implet; alit omnes omnium magnus pater.
Humore tenero parturit, laxat sinus,
Gemmas profundit, vitis ad vitam sata.
Hoc Vere, mundum plurimi natum putant.
Sed Veris en imago Microcosmus *venit.*

Cantus harum auium efficti, ipsæ emissæ.

Act 2. Sc. 2.

MICROCOSMVS. ÆSOPVS. EVTRAPELVS. OVDENOS.

ÆSO. *Generose* Microcosme, *nunc annum integrum*
Egisse te, doctore me, nosti satis;
Idq́ his Athenis: quo magis abundes, decet,
Et institutis, atq́ præceptis meis;
Authoritate & vrbis, & partim mei:
Scientiâ ego te, & illa te exemplis beet,
Literata mercatura: nec inanis redi.
MIC. *Officia memoras obuia (magister) nimis.*
ÆSO. *Obuia? quid! an te decet hoc?* MIC. *Hoc dico, obuia:*
Adeoq́ pædagoge, me iuris mei,
Me, quia parentis, & tuo prorsus iugo
Scias solutum. ÆSO. *Dissolutum quin putem,*
Quem nil coercet? EVTR. *Quid? an adhuc ferulæ puer?*
ÆSO. *Hoc est, Poeta quod prophetauit prius,*
Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Sed fabulam audi potius Æsopi. MICR. *Enecas*
Sententijs & fabulis. ÆSO. *Nunquis liber,*
Quàm Tullij *sententiæ, prosit magis?*

Hor. art. po. 163.

Quàm fabulæ Æsopi? Natare antiquitùs,
Illasq; qui nesciret, est habitus rudis.
MIC. Natare, tempus cum ferat, later; sed has
Respuo, nec vllos post diem hodiernum libros,
Nisi quos libuerit, nisi iocis plenos, nisi
Linguâ exaratos patriâ aspiciam. ÆSO. Satis
Sanus? MIC. Satisq; doctus, vt nunc sunt mei
Ordinis, alendis canibus, aucupijs, equis;
Vt iura discam patria, & dicam meis.
ÆSO. Canibus & auibus? EVT. Die Canis, num non te alit?
ÆSOP. Canis ego? EVT. Mordax. ÆSO. Non edit betam canis,
Furem adlatrabit: Tu Melitæus canis.
EVT. Satur; alit ergo par canum; ego placeo magis.
ÆSO. Canes at alere hic non licet. MIC. Siue hic licet,
Si te alibi, alendos censeo. ÆSO. Non censeo.
MIC. Assentiendum crede, censendum putas?
ÆSO. Sic olim. MIC. At ætas alia: quin hodie libet
Venari. ÆSO. An vt te deuorent, & rem, canes?
Actæonis quod fabula. MIC. Eh rursus sonat
Fabula. ÆSO. Docendi regula. MIC. Doceri abnuo.
ÆSO. Venationis quod lucrum? MIC. Aspernor lucrum.
ÆSO. Thesaurus in qua temporis chari perit.
MIC. Pereat, quod alias turpius abiret mihi:
Nec perit, & animo & corpori quod sit bono:
Illi voluptas, huic valetudo venit:
Dulcius vt illâ nil sit, hâc melius nihil.
ÆSO. Num quod fatigat, recreat? MIC. Vtrumq;, vt solet
Omnis voluptas, per vices. ÆSO. Sed num licet,
Peragrare saltus canibus alienos tuis?
MIC. Vtinam: sed agris publicis quid ni feras
Venemur, indagemus? ÆSO. Haud nostros decet.
MIC. Nempe quia studijs dediti: at cessant mea.
ÆSO. Cessare quæ paniteat, & pudeat. MIC. Tace.
ÆSO. Sine prius, vna fabula vt tangat. MIC. Tace.
ÆSO. Cicada canit Æstate, formica aggerit:
Ista saturatur Hyeme, quando illa esurit.

Com-

Compone vidum, Ver adhuc recens. MIC. *Tace.*
ÆSO. *Luxuria inopiæ mater.* MIC. *Odiosus tace.*
ÆSO. *Consilia spernis.* EVT. *Nisi taces, linguam erno.*
ÆSO. *Oh, an hoc magistro?* MIC. *Larua terroris mali*
Puero fuisti. ÆSO. *Puericia si non manet,*
Puerilitas at hæret. MIC. *Ergo, vt me scias,*
Quia præfuisti, non male, hoc faciam boni:
Subesse si libuerit, è nostris eris;
Sin adhuc præesse, quære qui subsit: vale.
ÆSO. *Seruare iuuenem, quem colo, probitas iubet:* *Recedunt.*
Seruire ei qui me coluit, ordo vetat.
Sed pauper ordo noster, & malo probus
Audire, quàm superbus & pauper; feram
Vt potero, si quà quid potero, quod fors feret.

Act. 2. Sc. 3.

MICROCOSMVS. TRAQVITANTOS. EVTRAPELVS. ÆSOP. OVDENOS.

MIC. Eutrapele *quis is est fronte tam torua minax?*
Peregrinus habitu, heroicus incessu? gradu
Grandem esse oportet: en vt attollat comam;
Vt crura tollat, ponat; vt barbam manu,
Mulceat, vt oculos torqueat, mirum in modum.
Placet ipse gestus, vultus haud vulgus sapit.
Eutrapele *ad hominem, quà potes, facias viam.*
EVT. *Experiar. Hospes inclyte (id vestes docent,*
Hoc vultus,) en te non refragantem alloqui
Generosus ille Nobilis, si vis, cupit.
TRA. *Generosus? atq; nobilis? veniat; volo.* *Hispagnuolizant.*
EVT. *Ceremoniosè perge: dat signum tuba.*
ÆSO. *O Simias exoticas; tricas meras.*
Ineptiarum stultus & turpis labor.
Nostra meliora quàm cito alienis malis
Adblandiuntur? MIC. *Loquar, an auscultem prior?*

TRA. *Loquare; honoris id tribuo; non est mihi*
Lingua expedita, sed manus, fortis manus.
MIC. *Marti videris, nec minùs* Phœbo *intimus.*
TRA. *Vtriq; fateor, seruio.* MIC. *Modestè nimis.*
Mores & vrbes igitur, vt Vlysses *nouus,*
Vidisti. TRA. *An aliquis viderit plures? putas?*
MIC. *Vix.* TRA. *Imò ne vix; nam quis Vtopicos, nisi*
Ego atq; Morus *vidit? ego vidi prior.*
EVT. *Vt ergo viuis, nec senex, & in hunc diem?*
TRA. *Non tibi, sed illi dico; quod quàdam Insulâ,*
Nisi male memini, Μηδαμῇ, *plantam tuli,*
Quasi Mœly, flore candido, fibris nigris,
Quæ sæcla centum iuuenis vt viuas, facit.
EVT. *Inde aliquid an habes?* TRA. *Huic habeo fortè, haud tibi.*
MIC. *Eximius, vt sis tot locis, annis, bonis,*
Video necesse, & ideo quàm fœlix forem,
Si te magistro, aut, si libet, amico fruar.
TRA. *Amico, amico: paria faciamus.* MIC. *Placet.*
TRA. *Quod nomen est vtriq;.* MIC. Microcosmus *mihi.*
TRA. *Mihi* Traquitantos. MIC. *Nomen Heroa indicat.*
TRA. *Sin gesta noris.* MIC. *Credo, & inquiram tua.*
TRA. *Communicabo; nec tamen soleo mea*
Deprædicare: quin & historicos libros,
Trophæa, itinera; quibus Odyssæa, Ilias,
Ænæis, haud sint paria. ÆSO. *Par nemo tibi,*
Nec amicus igitur. TRA. *Impares faciet pares*
Amor. ÆSO. *An amicus insolens, mendax, vagus*
Mihi præferetur? MIC. *Tibi.* ÆSO. *Tibi eligitur?* MIC. *Mihi.*
TRA. *Quid ait hominis os turpe, monstrosum caput?*
ÆSO. *Cor præstat ori, vilius cerebro caput.*
MIC. *Mitte hunc Amice, & iunge te comitem mihi,*
Venationi si quid hodiernæ vacet.
TRA. *Vacat.* MIC. *Vbi Amice scutiger?* TRA. *Non est adhuc.*
MIC. *Hunc scutigerulum dono, si placeat, tibi.*
TRA. *Quod nomen illi est?* MIC. *Oudenos.* TRA. *Puerum probo.*
MIC. *Vestra antecedat Dignitas.* TRA. *Præeat magis*

Vestra

Vestra Amplitudo. MIC. *Vestra.* TRA. *Quin vestra est via.*
MIC. *Imò.* TRA. *Imò honoris, hospiti quod das, habe.*
MIC. *Vt obsequar, præcedo.* TRA. *Quâ par est, sequor.*
OVD. *Iam emancipatum Æsope non cades.* ÆSO. *Erit*
Peius: memineris, Ranæ vt imperium leue
Trunci repulerint; retulerint aliud graue.
Hi verò amici, Fullo, Carbonarius,
Vt olla lutea, & ænea, cohærent male.
OVD. *Age, tibi narra fabulas,* ÆS. *Quin te sequar.*
Bona cuncta certè cupio Microcosmo; *sed hunc*
Seruare nescit, ipsa si cupiat, Salus.

Act. 2. Sc 4.

OPPIDANAE 6. HOCAGITRICES

1. *Rectè instituta quòd Societates, quibus*
Vt orta, sic seruata, gens hominum, docet
Vel cœtus iste noster; oppositum licet
Defendat aliquis: nec minùs mulier viro
Sociabilis creata, bona socia est minùs.
2. *Bona non minora, quàm viris, nobis dari*
Dixit Scholaris, si bonis vti libet,
Docuitque me concludere figurâ & modo.
Partes easdem quod habet, habet artes pares;
Partes eadem famina, ergo artes pares.
3. *Scholaribus mehercle debemus bona,*
Partes, & artes, liberos, quid non? viri
Sed nostri in illos nescio quod odium gerunt.
An quia Scholares nos amant, an nos eos?
Odium ex amore, turpe, nec lucrum facit.
4. *Nunc cum rogandis nummulis operam damus,*
Vt opus, vt vsus, vt locus, tempus ferunt,
Pauca Oppidani, plurima Scholares dabunt.

Eadem. TRAQVI. MICROCOSMVS. EVTRAPELVS. ÆSOP. OVDEN.

Sed ecce, hoc agite, hoc agite; Generosi ſtipem
Conferte in vſus publicos; dabitis, ſcio.
MIC. *Qui ſcis? 4. In ore ſplendet ille animus tuo.*
TRA. *Hoc, hic, in vſu famulis?* MIC. *Morem ſcias*
Eſſe hunc quotannem. TRA. *Non placet. 5. Dabitis.* TRA. *Sine.*
5. Niſi dabis. TRA. *Hæc vie. 5. Vis dare.* TR *Omittas. 5. Dabis.*
TRA. *Nolo. 5. Peregrinum te probat feritas.* MIC. *Sinas;*
Ego dabo. 5. Scimus eſſe noſtrates bonos;
Sed ab alienis nil boni. MIC. *Accipite hoc mihi;*
Hoc illi, hoc alijs. 6. Gratiæ comites eant.
Nec alia deſint, iſta dum redeant tibi. Exeunt 6.
EVT. *Fuiſſe credi, Ovdene, quod illis daret?*
OVD. *Non credo.* MIC. *Amice, nomen eſt lon_um tibi;*
Facilius igitur, Mic. *mihi,* Traq. *indam tibi.*
TRAC. *Conuenit: at alijs, quæſo,* Traquitantes *ſenet.*
Dic mihi Mic. *agros petimus, an ſyluas?* MI. *Agros.*
TRA. *Venamur igitur quas feras?* MI. *Lepores.* TRA. *Iners*
Animal, fugaxq;. MIC. *Poſtmodum cervos, capras.*
TRA. *Animus ad iſta dormit, vt* Pori canis;
Dignatur agrè Tygrides, Vrſos, Apros.
Memini, Imperator Scythicus *vbi comitem ſibi*
Me prodeundo voluit, aggreſſus Leo:
Inermis, vt nunc, arripio chlamydem, manum
Inuoluo, in ora trudo, demitto intimè,
Caudam prehendo, inuerto ſic imam cutim,
Exterior vt ſit; ille ſic cæſus iacet.
ÆSO. *Scythia Leonem haud nutrit.* TR. *Aduectum putes.*
ÆSO. *Nec nunc inermis.* TRA. *Comparatiuè puta.*
Veſtigia igitur proijce Leonis mihi;
Non tauri & vrſi, qui placent noſtris, iocos.
EVT. *Hic ſi ſit animus, nemore vicino latet*
Leo magnus; eccum, ſi prope oſtendi cupis.

TRA. *Non*

TRA. *Non ego Leonem dixeram, at vestigia.*
MIC. Traq. *ecce & alias, quas potiùs adigam, feras.*
Sed vt aucupemur, nos in insidijs loces.

Act. 2. Sc. 7.

Iidem, FLORA. HEBE. EVPHROSYNE. EARINE. PRIMAVERA.

FLO. *En Ver adultum, tale, quale olim fuit,*
Cum me insecutus Zephyrus abripuit suam.
TRA. *Raptum audi.* FLO. *Et ô quàm dulcis hic raptus fuit?*
Post duxit. TRA. *At post.* FLO. *Veris imperium dedit,*
Aurae fauores, floris arbitrium, soli
Varios nitores, his & implenit sinum.
TRAQ. *Implenit; audis?* FLO. *Charitas adiunxit, comas*
Vinxit coronis. TRA. *Vinxit, an vicit, putas?*
FLO. *Sanguine colores hinc adumbrarunt meos,*
Hyacinthus, *aĩ, aĩ, vel furens* Aiax, *ferens:*
Narcissus, *heu, se nimis amans, nescens parum:*
Adonis, *heu, quòd non amat amatus nimis;*
Clytie, *& amoris nescia, & nimium sciens;*
Smilax, & Acis, *atq; odoratus* Crocus,
In morte florem, in flore qui vitam induunt.
TRA. *Quae Saga flores è viris duxit, viros*
E floribus reducat, & dicat suos.
FLO. *Sed* Iuno *vires sensit, ante omnes, meas.*
Vt enim Minervae Iupiter *solus pater*
Sine matre; Martis Iuno *sic operâ meâ*
Sine patre mater. EAR. *Qui potuit?* TRAQ. *Est haec, puto,*
Hermaphrodite. FLO. *Flos fuit in hortis meis,*
Quo tacta mox concepit. TRA. *In labem* Iouis.
EVTR. *Aesope, memor es,* Μυθαμῦ *quam dixerit*
Traquitantos *herbam Moly, persimilis sit haec;*
Mandragora fortè. FLO. *Si qua diffidat, velim*
Attentet: hic est. EVPH. *Non ego.* EAR. *Nec ego,* PRI. *Nec ego.*

EVPH. *Ego*

EVPH. *Ego parturire si velim, ex merito velim.*
FLO. *Olim iuuencam tetigit his sterilem, statim*
Mater erat. EAR. *Eia.* FLO. *Stulta, sine tangam sinum.*
EAR *Absit.* FL. *Quid absit?* EAR *Sine viro pariam virum.*
HEB. *Pollicita* Flora *est fabulam, & vanam dedit.*
FLO. *At vana non est,* Iuno *quòd partum tui*
Lactuca agresti fecerit, sterilis prius.
Nec vana, quod tu, dum ministrares Ioui,
Prolapsa; mitto cætera; quid Hebe pudet?
HEB. *Tui pudet, pudere quæ nunquam soles.*
Sed ne pudoris, vt soles, expers, vide,
Cato *in theatrum venit; & festos iocos*
Feret, at pudicos. FLO. *Veneror, & video: meos*
Celebrare ludos si libet, sex vt pares
Simus, Amaryllis *adsit a mulctra.* EAR. *placet.*
MICR. *Quid Amice, si fas petere, de Nymphis putas?*
TRA. *Vt de Deabus censeam, non sum* Paris,
Vt Pulchriori *mala dem, ne dēt mala;*
Sed sis memor, raptam alteram, lapsam alteram.
Peperisse bis Saturniam *herbæ viribus.*
MIC. *Deas duas omitte? quid tibi tertia?*
TRA. *Nec lapsa, nec dum rapta.* MIC. *Præ reliquis Dea;*
Venus *illa, si sit vlla, terrestris* Venus.
FLO. *Age, sortiamur paria currendo; lege.*
AMA. Hebe. EVT. *Vt adolescens?* AMA. Flora. EVT. *quā florens Dea?*
AMA. Euphrosyne. ÆS. -εὐφροσύνης ἐπιβήτου Ἀμφοτέρω φιλόν ἦτορ-
MIC. *Sit* Flora *Zephyro,* Hebe *Herculi, Euphrosyne mihi.*
AM. Earine. EVTR. *Vt ipsas spirat hoc nomen rosas.*
Pet. p. 1. son. 9. 14. AM. *Mihi* Primauera. TRA. Primauera per me pur non è maj
Tenuere fines paria Nympharum duo;
Misitq́, geminas sors in infernum Deas.
ÆSO. *Illæ allaborant, vt trahant alias eò.*
TRA. *At nos probamus quod sit in medio situm.*
FLO. *Soluite.* EVP. *Solutas cupis? habe.* MIC. *ego vinctam velim.*
Venationis specimen en nostræ; fugit
Nympha, quasi Cerua; *quasi Canes, vrgent Deæ:*

Illaq́,

Illaq́, salutem pedibus, hæ prædam petunt. Sir Phil. Sid.
Accelerat has spes, accelerat illam metus.
Auget ruborem cursus, ornatum rubor.
Anhelitus lassatus implorans opem
Silens videtur dicere, ob tergo imminent.
Accurro Nympha, molli & excipio sinu.

HEB. *Generose, vix hoc moribus quadrat bonis,*
Sic virginales vt vir abrumpat iocos.

MIC. *Ignosce Diua, si fuerit audax nimis*
Amor, aut amori cesserint mores: vide,
Vt pectus illi palpitet, cor contremat,
Rigentur artus rore; num non hæc opem?

FLO. *Audax, & effrons, vix teneo me, ne luas,*
Actæonis *quod pœna: nec inultum feres.*
Amplexus ignem es, intimum qui cor coquet,
Pectus peruret, extimos artus edet.
Abite, tu, tuiq́, ne grauiùs loquar. Abeunt viri.

EVP. *Dea, generosum iurgijs cur tam feris*
Excipis? is in me nil mali: haud nocuit quidem.

FLO. Euphrosyne *amores illius noui, & tuos*
Primùm emicantes, nec minuo, laudo magis;
In amore condimenta commendant cibos.
Sub Vere iam præcipite quod florem dedit,
Æstate succedente tibi fructum dabit.
Eamus; hortis dum rosa erit, adero tibi.

Act. 3. Sc 1.

PICROCHOLVS PARASITVS.

Ephebe Phœbe, *Cæli ocule,* φῶς τοῦ βίου,
Dux orbium, lux luminum, lucis pater,
Virtus remotis, vita vicinis, domum
Cancri *calentis ingredi vt properas? an vt*
Zelotypa pellat pellicem Maiam, soror

Cu.Fast.l.4. Iuno Ioui, & vxor, iuncta cum Geminis! an vt
Assecla supremi clara Maiestas Iouis
Inauguratos inde Maiores locet;
Hinc Iuniores, stella regnorum, Vnio
Iunctos Iuuentæ vinculo, vnamines beet!
An vt Imperator Iulium sydus micat?
An vt orbis Imperator Augustus sedet?
An Cancer vrit ortus è fluuio? an magis
Stomachum replet feruore Nemeaus Leo?
An Virgo mouet, at mitiùs, crasim insitam?
Nam moueor, vror, ferueo, & oues vt solent,
Depono vellus; quasi cadens fænum areo.
Ceres ipsa vt adsit, sitto, quia constat Ceres,
Nec adhuc liquatur: metitur hic Mundi seges;
Æstatis en imago Microcosmus venit.

Act.3. Sc.2.

MICROCOSMVS. TRAQVITANTOS. ÆSOP. PICROCHOL. OVDEN.

MIC. Agnosco, Amice, perdidi me, te simul.
TRA. Me non potes, tu videris de te: quid est?
Num læsit aliquis? quem (Iouis testor manum,
Si sciero nomen,) è Iouis gremio traham.
MIC. Læsit. TRA. Quis? MI. Hostis intimus. TR. Ab imo erue;
Hoc ense profligabo. MIC. Non poteris. TRA. Quis est,
Mea fortitudo quem reformidet? MIC. Latet.
TR. Me fugit. MI. At hæret vulnus. TR. Vbi? MI. Corde intimo.
TR. Quà venit? MIC. Oculos per meos. ÆSO. Ἐκ ὁρᾶν, ἐρᾶν.
TR. At cor, quia viges, quia vides, oculi valent.
MIC. Vigens, videns, valensq́, pereo. ÆSO. Quin volens.
TRA. Monstrum rei: at amas, arbitror. MIC. Sic est: amo.
TRA. Num sapio? sed me? MI. Te, sed et. TR. Quid vult, sed et?
Num non amore dignus in totum tuo?

MIC. Dignus,

MIC. *Dignus: ſed alia eſt.* TRA. *Alia? quæ tanti fuit,*
Vir fœminam vt ames, quem vix è paucis ames?
PIC. *Si velit amare, quin amet? tu non amas?*
TRA. *Confiteor, illum.* PIC. *Non amas illum?* TRA. *Imò amo*
Illum. PIC. *At mulieres?* TRA. *Hercle non odi; at magis*
Amor ego ab illis. PIC. *Quæ ratio?* TRA. *Formam vides.*
MIC. *Æſope, quid Amor?* ÆSO. *Error, & amaror, mare,*
Homicida, dæmon, faſcinum, Gorgon, Hydra,
Fur, ſanguiſuga, ſcorpio, venenum helluo?
Chimæra, *leo trux, capra ſalax, ſævus draco.*
MIC. *Quid pulchritudo?* ÆSO. *Byſſinus laqueus, ſilens*
Syren, tyrannis perbrevis, rete aureum,
Fax picea, ſpeculum fragile, nix nulli vtilis,
Suſpenſa foribus hedera, Narciſſi *lucrum.*
MIC. *Quid mulier?* PIC. *Audes dicere* Μισογύνης *canis?*
ÆSO. *Audeo.* PIC. *Quòd abſint, audiant nullæ; at tibi*
Os, ſiqua adeſſet, vnguibus lanict feris,
Effodiat oculos; Thracias Orpheu *time.*
TRA. Amazonum *gens tota, ſi tota irruat,*
Ruat, nec affiet (me vide) affixum Herculi.
MIC. *Sed amare quia iam certum, id expedias mihi,*
Quid amando fiet? ÆSO. *Prima ſors, pende.* MIC. *Haud placet.*
ÆSO. *Secunda, differ.* MIC. *Vix placet; ſed nec queo.*
ÆSO. *Tertia, potire.* MIC. *Placet hoc, hoc ſolum placet.*
Hoc age. ÆSO. *An vt igni ſulphur admoueam furens,*
Quod ferueat, quod fœteat? MIC *Thus admoue,*
Ardens vt oleat: ignis eſt fateor meus,
Quem Flora *comminata, quo carpor miſer.*
ÆSO. *Quid ſtulte quereris de malo, quod tu tibi?*
PIC. *Medere ſapiens, nec malo adycias malum.*
ÆSO. *Vna eſt medela, vince.* MIC. *Quî potero?* ÆSO. *Vide,*
Amorem amore, toxicum ceu toxico.
MIC. *Num dicis alium, an mutuum?* ÆSO. Muſas *ama.*
MIC. *Præcellit illa, & vna, vel* Muſis *nouem.*
TR. *Quin mihi* Mic. *illam nomina.* MI. Euphroſyne *eſt, habes.*
TRA. *Credideram; & illam niſi tu ames, tanti eſt, ego*

Penitùs amarem. PIC. *Non amas ergo, quoll hic?*
TRA, *Vt amicus imò id amo.* PIC. *Sed an amicum decet,*
Æmulus amico vt fiat? TRA. *Haud dico æmulum;*
Sed id idem amare. PIC. *Quid id idem? an eandem innuis?*
TRA. *Innuo & eandem.* PI. *Vt æmulus?* TR. *Nimium premis;*
Vt amicus. PIC. *Viri?* TR. *Virig.* PIC. *Cur illi?* TR. *Scies;*
Quia tota hilaritas, latitia, Veneres, lepos.
Merita est amores illius in illo meos.
PVR. *In illo! ab illo! nil tuâ causâ!* TRA. *Meâ*
Non soleo amare: quin pares omnes puto,
Mihi impares. Hunc (a Deo siquis queat)
Ab amore amicum vindicem, vt charum Hercules
Ægìdem *ab Orco: quin age* Cupido, *veni,*
Loco in duellum; mitte mihi captum, aut peri.
Sed puer es impar: penniger, fugies: vagus,
Hàc, illà abibis: æcus; errabis: tener,
Frangère: tela geris, ab insidijs petes.
Ignosco puero: tu impera siquid queam.
MIC. *Mea Diua ludis libera æstuis vacat.*
Nec conuenire venia, nisi sumptà pari
Personâ, vt illi messor admistus feram,
Quod sors, quod æstas, quod locus, socij ferent.
Sic experiri est animus; & tu, si comes
Vis esse, venias: vosq, ne sitis procul.

Act 3. Sc. 3.

FLORA. CARNA. HEBE. EVPHROS. THERINE.

Ou. Fast. l. 6.

FLO. *En tibi, Iuuenta, cardinem mensis tui*
Carna aperit: en vt ad pecus niueum Pales
Mersum liquente latice tondendum vocat.
Perluitur, vdo vellere exuitur pecus,
Nec obstat; ô sic, velint oues, homines ferant.
Sed vellus aderit aureum, Euphrosyne, *tibi*

Amator,

Amator, habitus in nouos, Proteus quasi,
Subinde versus, vt tibi sese ingerat,
Nunc Pastor, & mox Messor; at visus meos
Haud fugiet, illum quin tibi assiduo exprimam.
EVP. *Diua, haud negabo, corde sedet vnus meo*
Microcosmus; *illum dicis? ô dicas.* FLO. *Is est.*
EVP. *Ille quod apertè poterit, id furtim petet?*
Qui mutet habitus, mutet & amores suos.
FLO. *Per varia media petitur huic meta vnica.*
Tibi, nequid obstes, præstat, indicio meo,
Nescire quod scis; vt dolo vincas dolos.
EVP. *At amor, vt ignis, vix potest verus tegi.*
FLO. *Aliud videri, fœmineæ esse aliud, nouum?*
Aliud agentes ergo videamur: venit.

Act. 3. Sc 3.

Eædem. MICROCOS. TRAQVIT.

MIC. *Eo nunc amice, vt tondear ad imam cutim.*
Sed me mea Pales tondeat. TRA. *Sed nulla me.*
Qui se facit ouem, facilè spoliatur lupa.
Carnem vorabit sæua, quæ radet cutim.
MIC. *Ars arte deludenda.* TRA. *Pulsandus magis*
Mars *Marte.* MIC. *Video* Traq. *Deas: nunc me vide.*
Secede, nolo me sciant. TRA. *Sed me volo:*
Quæ nescit me spernat, at non quæ sciat.
MIC. *O subuenite, si qua quid poterit, Deæ:*
Ouem eluendam dum traho è dumis, apis Tass. Amint.
Aculeum distrinxit, & fixit labro.
EVP. *Sedere roseis credidit labris rosas;*
Mel inde voluit sugere infœlix apis.
FLO. *Ab ape virumne tantulus cruciet dolor?*
MIC. *Opinione maior; oh.* FLO. *Quid sic gemis?*
Verùm age, misereri poterit Euphrosyne *tuo*

 Immur-

Immurmurare carmen auxilians labro,
Fomenta ἀνάδυτα dare, si supplex rogas.
MIC. *Miserere Diua supplicis; sic te iuuent*
Superi, tibi silis si quod opus, vt me iuuas.
EVPH. *Saluo pudore num licet Diua in virum?*
FLO. *Non condolere, vel viro pudeat magis.*
EVP. *Vbi dolor?* MI. *Intus.* EV. *In labro?* MI. *Interiùs.* EV. *Tace.*
MI. *Taceo.* EV. *Sine.* MI. *Sino.* EV. *At præmiũ.* MI. *Me totũ habe.*
TRA. *O Versipellem; laudo commentum: vide*
Labra vt labellis, concha quasi conchæ, hæreant.
Ehem Scholaris, è schola non hoc tuum,
Nisi me docente; paria quin optem mihi?
Repetita decies carmina hæc cui non placent?
Saluete, florum, temporum, memorum Deæ,
Vos inter, aliquis dabitur Heroi locus?
CAR. *Locus est.* HEB. *At Heros, vnde?* TRA. *Num nescis genus?*
Frater Mineruæ, *&* Martis *agnoscor.* CORN. *Quia*
Cum vtroq; bella cogitas. HEB. *Sed quis pater?*
TRA. Iupiter. CA. *Vt hominum pater.* HEB. *At & matrem cita.*
TRA. *Quod non virile, nequid ego saperem, sine*
Matre, vel vt aliqui, Thetide *sum matre editus.*
CAR. *Quæ nempe pareret ex* Ioue *priorem* Ioue.
HEB. *Et sic ego soror.* TRA. *Credo: nam solis tribus*
Phœbo, *mihiq;, &* Libero, *in cunis datum est*
Tua Iuuentæ flore perpetuo frui.
HEB. *Æterne puer, haud nosse priùs, error Patris.*
MI. Euphrosyne, *vt amo te? nisi me ames, morior.* FLO. *Quid hoc?*
Insulse Pastor, hoc dolo, hic fictus dolor?
Celsam vir humilis virginem vt fallas decet?
Sic verba das? hæc verba num Nympha audiat?
En vt stet oculis Virgo demissis pudens;
Vt vim pudori feceris, & iræ locum.
Sed quam petisti per dolum, vt falsum labro
Aculeum reuellat, affiget magis
Verum, profundum, cor vt affligat tuum.
Hinc impudens face esse, ne grauiùs luas.

TRAG. *Tanto-*

TRA. *Tantopere Dea ne ſæuias.* FLO. *Ad te quid hoc?*
Patiaris Heros, pœna paſtorem premat.
EVPH. *Sed num redibit, Dea?* FLO. *Redibit, ne time.*
Sic ſunt proci pulſi quaſi pulſati canes.
Acuit repulſa. EVPH. *Vereor, alienat magis.*
FLO. *Bellator, animo, ſi ſemel, ſemper cadis?*
TRA. *Nunquam ego.* FLO. *Sed annon pulſus in bellum redis?*
TRA. *Non pellor; at ſi pellor aliquantum, acrior*
Reuertor; Aries qui retrocedit, ferit.
EVP. *Stimulandus hic iniuriis, aut non amet.*
FLO. *At nos, remotis arbitris, Nymphæ, vt ſolent,*
Merſemus vndis corpora: at dico tibi,
Spectator vnus aderit, Euphroſyne; *nec is*
Spectando pœnam Actæonis *meritam feret,*
Sed pœna ſibi, vidiſſe, quod vidit, vafer
Dolebit, & gaudebit: interea ioci
Cibeles *parentur, vt ſolent,* Therine, *vide.*
TRA. *Dea quæ videris mitior reliquis, mane.*
Aliquando Apollo *ridet: aliquando pater*
Iupiter *amicas ſequitur: aliquando comes*
Veneri Gradiuus *hæret; aliquando* Hercules
Omphalæ *ineptus ſeruit; aliquando ferox*
Briſeidi Achilles *vacat: & aliquando meus,*
Vt nunc, leuiculos Genius in amores ruit.
Quid multa? Rhetor Aulicus non ſum: manus,
Quàm lingua nobis promptior; paucis habe.
Mea Carna, te depereo; iungamur, precor.
CAR. *Heros iocaris.* TRA. *Teſtor hanc barbam inclytam.*
CAR. *Ludis.* TR. *Deamne?* CAR. *Verba das.* TR. *Non eſt meũ.*
CAR. *Heroa credam amare:* TRA. *Per vitam meam.*
CAR. *At lucis & pudoris hic nimium vides:*
Secreta magis in antra, ſi ducis, ſequar.
TRA. *Pancraticum adeptam dixeris, faxo, ducem.*
CAR. *Iſtulte, nec enim ſtultior quiſquam; vale.*
Sic ſolco amantes ludere; hunc, merito, omnium.
Nec me reperiet facile, niſi Ianus *biſrons.*

Exeunt Flora, Hebe, Emperoſ. Therine.

Ou. Faſt. l. 6.

Exit Tr.

Latebo

Se abdit Carna mox abit.

Latebo paulum; mox meas aliâ petam.

Sc. 5. Redit Traq.

TRA. *Vbi Carna? Carna: quò receſſiſti Dea?*
Vbi delitescis? me fugis? videor tibi
Fugiendus? an me, vel fidem fallis tuam?
Iam tu iocaris, verba das, ludis, ſcio.
Deſine: iocandi ſit modus: an vmbra es Dea?
Iunonis *inſtar, nebula captanda eſt mihi?*
Hâc is? vel illâc? nulla es? an nullus peto?
Te prode; prodi: ludor, an lædor magis?
Vt muſicus (non dico trivialis, mihi
Chordis reſectis videor, & derideor;
Nam vita ſua cui chara, qui me rideat?)
Sed Thrax *vt* Orpheus, *qui Deos, homines, feras*
Traxit canendo, cum à Styge Euridicen *ſuam*
Ferè reduxit, clamat, Euridice, *nec eſt*
Quæ verba reddat: brachia intendit, nec eſt,
Quæ intendat illi; prendit, & prendi cupit,
Nec eſt, niſi aura inanis; hoc verò intereſt,
Amiſit ille, quia retroſpexit, ſuam;
Ego, quòd ineptus non retroſpexi, meam.
At tempus aderit, Carna, *cum ſtringam arctiùs.*
Sed en reuerſa a flumine decentes Deæ:
Et Carna *in illis.* FLO. *Cecidit* Euphroſyne *bene,*

Sc. 6. Eadem reuerſa. Traq.

Vt ad aquam adeſſet ille ſimulatus tibi
Piſcator, an ſpectator, in dumis latens.
CAR. *Quid* Flora *cecidit?* FLO. *Dum ſuperfuſis aquis*
Lauatur, imò lauat aquas, Nympha hæc, iocos
Ordimur, & aquam nunc manu lenem leni
Percutimus, (aqua percuſſa nil ſenſit mali)
Nunc iacimus, (aqua ſic iacta nil fecit mali.)
Nunc membra membris vndiq; vt vites palos
Circumplicamus, aqua latus vtrumq; implicat.
Membra, vt liguſtra incluſa tranſlucent vitro.
Dum ludit Hebe, *& illa (ſic an fors tulit,*
An fundi & vndæ lubricum?) Euphroſyne cadit:
Heu, heu timore percita exclamat cadens.

Non

Non viſus antè vidit hanc, viſam ſuis
Oculis ſecutus vſq; Piſcator ſilens.
Ille illud heu, heu, *ore vt ex illo audiyt,*
Audiſſet acſi, heus, heus, *periclitanti aduolat.*
Veſtitus vt erat, inſilit, merſam leuat,
Nudam fouet; quid nuda, quid merſa abnuat?
Erubuit illa vt teneat, at timuit magis
Vt Virgo mittat nuda veſtitum virum.
Pudoris & timoris en & adhuc notas.
Simili in periclo an Carna *feciſſes idem?*
CAR. *Idem quod illa; affixa tenuiſſem virum.*
FLO. *At ego ſtatim illum abſterrui diris minis;*
Potuiſſe nos quod ille, voluiſſe & magis
Profeſſa; non vocatus vt adiret, nefas.
At ille madidus trepidus, hoc dixit modo,
Aquam vſtus adj, merſus in aqua, ignem aufero.
EVP. *At & reliquit, ſentio: & fateor, nimis,*
Maledicta retulit, pro bonis factis din.
Sed ſi redierit, quam dedit vitam, feret.
CAR. *Quod nomen?* FLO. *Illa nouit.* EVP. *At non vt velim.*
TRA. *Vel fallor ego, vel ille* Microcoſmus *fuit.*
FLO. *Tu falſus vt ſis; ille* Microcoſmus *fuit.*
Sed feſta Cybeles, *ecce* Corybantes *ſonant,*
Et Therine *in illis, & vir,* Euphroſyne, *tuus;*
Qui meſſor vt te ſpectet, vt ſpectes, venit.
TRA. Cybeles *miniſtris arma quid dicant, doce.*
PIC. *Armis tuendâ patriam.* TRA. *Sed quid volunt*
Turrigera capita? PIC. Terra *quòd vi ſtet ſuâ.*
MIC. *Quin* Miles, *& tu te leui adiungas Choro,*
Et duc choreas. TRA. *Sperno meſſorum gregem*
Miles, *choreas ducere, indignum reor*
Heroe *tanto.* PIC. *Quanto? an es Diuos ſupra?*
Homineſq;? vtriq; ſæpe ſaltarunt. TR. *Age,*
Dedignor. PIC. *Ergo qui ſuperat omnes, ſupra*
Tollatur omnes: id, Dea, vobis placet?
FL. HE. CAR. *Placet.* MI. *Et videtur Nympha ſic meritus tibi?*

Curetes armati ſaltantes, in his M. crocoſmus, Picroeb. Therine.

Ou. Faſt. l. 6.

EVPH. *Videtur.* MIC. *Ergo rapite sublimem; Deos*
Infra, supra homines, vt cruce hi qui pendeant.

Tollitur. PIC. *Tollatur.* TRA. *Vt equus portet hunc, quem rex alat.*
Indignus ego, qui pedibus insistam solo:
Attollor humeris igitur ad cœlos: equi
Ou. Met. 2. *Quatuor, vt olim Solis; hic* Æthon *niger;*
Hic Lampus, *ita nasus rubens splendet;* Phlegon
Hic, efflat ignem naribus; & iste igneus
Pyroeis *vocetur; si boni, hinnitus date;*
Regnum, vt Darius, *forte si hinnitis, feram.*
Non in platea Sol, *sed in scena emicat.*
Plaut. Asin. *In scena herus amans vexerit seruum; sed hi*
Serui (præ amore) me vehunt; sed de hordeo
Demam, gradatim nisi badizatis: sed heus,
Tu saltuatim, tuq; tolluatim nimis.
Quadriga plusquam Solis, illa illis equis,
Quatuor hominibus hæc Tamerlanem *trahit;*
Quos subingaui reges feodatarios.
MIC. *Hic ergo* Phaeton *sentiat vestrum, Deæ,*
Fulmen; reuulsis detur in præceps rotis.
Auferatur. Eridanus *illum capiat; auferte ocyùs.*
Sed tu meorum meta ludorum, quid est,
Quòd tibi, nec illi, nec ego placeamus satis?
EVP. *Vtrìq; placeant, quod petant, si quid sciam.*
MIC. *Nescire poteris, vnicam te quod petant?*
EVP. *Tu mihi videris vix tuus, nedum meus.*
MIC. *Vix meus, vt id quod res, fatear; at sum tuus.*
EVP. *Tuus esto primum, tum meus, quum te tibi*
Reddideris, vt dem me tibi, huc ad me redi.
MIC. *Satisne dixit?* FLO. *Si sapis, dixit satis.*
Persona tibi ponenda, si vis te eligi.
Orchestra messor vix placet, si tu places.
Sed finienda hæc festa nos alio vocant.
Exeunt omnes. *Mihi deserenda, nunc tibi,* Euphrosyne, *cane.*
CAR. *Age prosequantur, quæ volunt, festa; interim*
Nescio quis oculis somni amor oboritur meis.

Suadetne

Suadetne ſomnos ſydus exorti Canis ?
An inuſitatus omen eſt prauum ſopor ?
Me Solis *oculus* Virginem *ingreſſi, vt decet,* Dormit &
Seruabit, vt in hunc ceſpitem inclinem caput. Redit Traq.
TRA. *Quis melius vnquam turbini, & turba graui*
Ceſſit ? id ab animo plane Vlyſſæo *venit.*
Hic, malo, dicat fama, Traquitantos *fugit,*
Quàm, morte non vrgente, Traquitantos *perit.*
Se vindicare mortuus nunquam poteſt;
Viuus poteſt; & viuo, riſi fallor, meas
In vltiones : prima tibi Carna *inſidet;*
Tibi Microcoſme *eſt altera;* Euphroſyne *tibi*
Tertia; minores mitto; nec tango Deas.
Illa Microcoſini, *tecta ſub amico, premet :*
Illius etenim domus, opes, menſa eſt mea.
Illa nec aperta, quâ petam Euphroſynen ; *ſed vt*
Ab amore in odium mutuum vtrìq; incidant.
Tibi Carna —— at eccam video ſopitam : ſed en,
Odium in amorem mihi retrocedit nouum.
In dormientem ſauiet nemo ; ſed eſt
Apta vltioni occaſio, tempus, locus.
Neq; manus obſtat, pes fugit, lingua abnegat,
Oculus minatur : quin fruar, nihil in mora :
Inuitat, illam vt oſculer, labrum tumens. Ou. Faſt. l. 6.
Ipſa, puto, dormit hoc in hunc finem loco.
Cor micat anhelans ; moueo ſuſpenſos gradus : Rugit aſinus
Dum fruar inhibeo ſpiritum. Sed quid ſonat ? intus.
CAR. *Quid ſonat ? hîc aliquis ? quid rei ? tu quis ? quis es ?*
Heros ? *adeſte, adeſte, qui auditis.* TRA. *Tace.*
CAR. *Adeſte ; machum capite.* PIC. *Quem tecum ?* TRA. *Deæ.* Intr. Picroch.
CAR. *Qui dormienti facere vim voluit.* PIC. *Quis eſt ?*
CAR. *Ille* Traquitantos, *qui quaſi admorſus canis*
Fugit. PIC. *Quis illum, modò in aquis merſum putet*
Ita caluiſſe ? dabimus at mitem ſatis.
Nam perſequemur : parte, quâ peccat, luet.

Act. 4. Sc. 1.

PHANTASTICVS PARASITVS.

Medios labores gratulor, Titan, *tibi*
Cursim peractos; perge; discedens dedit
Astræa Libram, *noctibus vt æquet dies;*
Hinc transeunti Scorpius *caudam implicat;*
At hinc sagittas semifer Chiron *gerit;*
Satelles iste, lictor ille, huius Libræ.
Ceres *alma mater* Liberum *inducit patrem.*
Panem illa solidis ponit, hic siccis merum
Propinat; illa firmat, hic recreat viros.
Genium Poetæ infunde, bacchari vt libet,
Generose Liber, *liber vt curis sonet,*
Euohe Lyæe; *vite, quasi palmes tumens*
Vuæ cruore, vt vuidum ingenium fremat,
Cyathos Camanis ter tribus libet nouem.
Prima sitis vt sit vua, lætitiæ altera,
Tertia furoris; furere potanti lubet.
Pyra, poma, et vuas ferat Amaltheias vlegs:
Hoc innat, at aliud non inuet cornu: sed en
Autumni *imago vina* Microcosmus *venit.*

Act. 4. Sc. 2.

MICROC. ÆSOP. PHANT.

MIC. Æsope *num non videor eximium artibus*
Feciſſe fructum? ÆSO. *Quo modo?* MIC. *Dicam tibi:*
Vt sim Poeta si velis, ipsi docent,
Des, quod amem. ÆS. *Id age, teneo.* MIC. *At orator, cupis,*
Rhetorica, amori vt blandiar, studium fuit.

ÆSO. *Tibi*

Æ s o. *Tibi verba data ſunt, dum dabas verba alteri.*

M i c. *Aſtronomus en ſum, vt aſtra concludi loco*
Minimo ſuprema viderim, mirer videns:
Sol, Luna, Venus, *& reliqua, in hoc vultu micant.*

Æ s o. *A cœlo aberras, in ſolo cœlum intuens.*

M i c. *Eſſe Geometra ſtudeo; nam ſtudium eſt mihi*
Huius ſoli, quod dicis, abſtruſos ſinus,
Partes latentes arte metiri meâ.

Æ s o. *Abſtracta ſatis eſt notio; attracta eſt nocens.*

M i c. *Numerare laudes, eſſe Arithmeticum probat.*

Æ s o. *Quas addit alij, ſubtrahis laudes tibi.*

M i c. *Muſicus vt eſſem, fecit hoc ſtudium, auribus*
Vt placeam & eius cordis harmoniam aſſequar.

Æ s o. *Concentu amorum, morum abeſt ſenſus tibi.*

M i c. *Ethicus vt ἦθος, ſic μάθος ſpectat, bono*
More ſit, amori qui ſtudet: ſum ergo Ethicus.

Æ s o. *Natura, quam te exterminant mores mali?*

M i c. *Naturæ id opus eſt, is ſcopus, generet ſibi*
Simile; mihi idem eſt; Phyſicum ex iſto ſcias.

Æ s o. *Quæ prater illam, non ſupra, vt vanè ſtudes?*

M i c. *Amor hic Magiſter Artium, Doctor, Deus,*
Damon; quid vltra? hinc ecce Naturam ſuprà.

P h a n. *Annon videtur Dominus afflatu meo*
Phantaſticari iam ſatis? M i c. *Phantaſtice,*
Quia famularis, ede mihi ſtirpem tuam.

P h a. *Mihi blanda mater, at varia, præceps, potens;* Imaginatio.
Illa Rationi, Arſinoa Cleopatræ, *ſoror,*
Æmula. M i c. *Sed annon tibi pater quiſquam fuit?*

P h a n. *Pater erat ater, acidus, mœrens, furens,* Succus melach.
Siculi tyranni Siculus, è Splenis *fluens*
Scythicâ palude, in corporis Capitolium.

M i. *Qui tibi propinqui?* P h a. *Plurimi; non tres modo* Ou. Met. l. 12.
Phantaſos, *inanimâ qui refert;* Icelos *feras,*
Hominesq́, Morpheus, *idq́, per ſomnum; ſed &*
Phantaſta vitulus, bos, ouis, verres, lepus,
Simia, & aſellus, *hiq́, vigilantes viri.*

Thes. Med. de Hasionib.

ÆSO. *Phantasticorum genera qui nosti, refer;*
Phantasta *num sit vir grauis, quando ebrius?*
PHAN. *Quòd non, videtur.* ÆSO. *Num-nam ab incessu & toga*
Phantasta *sit dicendus, aut veste Aulicus?*
PHAN. *Quòd non, tenetur.* ÆSO. *Sitne, quem vulgus putat,*
Phantasta, *vel quem Momus, aut* Μυρος *leuis?*
PHAN. *Quòd non, probatur.* ÆSO. *Sitne, qui tales putat*
Sibi dissidentes, ipse phantasta? PHAN. *Est ita.*
ÆSO. *Qui nisi quod ipse faciat, haud rectum putat*
Aliquid, an alijs ipse phantasta? MIC. *Est ita.*
ÆSO. *Hæc ita teneri, discuti, dici hoc loco*
Qui fert grauiter, an ipse Phantasta? PHAN. *Est ita.*
MIC. *Vnum addo; Num sit de fide vxoris sua*
Phantasta *certus, vel minùs certus, quia*
Phantasta? PHAN. *De non scibili quæris.* ÆSO. *Sed est*
Imaginabilis. PHAN. *Fides est certa res;*
Incerta mulier. ÆSO. *Ita repugnas tu tibi.*
PHAN. *Fidem mulieris (quasi mare manere autumes,*
Lucere lucum) dixeris non ens, quia
Opinione, non φυσει *constat: sed est*
Phantasta *iusta causa, cur iniusta sit.*
ÆSO. Phantasta *ne sis igitur, vt serues fidem.*
PHAN. Phantasta *fias potiùs, vt fidam probes.*
MIC. *Videro: sed aliquis visat,* Euphrosyne *an suis*
Agris redierit, messis vbi finem autumat:
Vindemianti tulero, si quà opus est, opem.

SCEN. 3. PHAN.

PHAN. *Signa duo amicis sunt meis, Mæror, Metus:*
Nigrum illud, istud pallidum; hoc isti intuli;
Inferet hoc illud: è metu mæror fluet.
Ægrè quiescet, in capite cui sic sonat
Gryllus, & amoris odium, & amor odij grauis.
Sed venit amicus Miles, *huic aurem dabo.*

SC. 4. TRA. PHANT.

TRA. Vertumnò *iniquo natus ego videor mihi:*
Lusus in eodem, & mersus, & cæsus die!
Vindicta ad aurem dicta mihi tragicè sonat.
Vindicta in ore, in corde vindicta est mihi.

Vindicta

Vindicta patitur, sis leuis lusi vltio.
Vindicta poscit, sit grauis mersi vltio.
Vindicta clamat, sit propera casi vltio.
PHAN. *Reboat ad aures sola* vindicta, vltio.
Sed adibo. Miles *vt vales summe?* TRA. *Vt vides.*
PHAN. *Video valentem.* TRA. *Sic soleo.* PHAN. *Meritò soles.*
TRA. *Benè dicis isthoc.* PHAN. *Sic soleo: tu noster es.*
TRA. *Sum totus, & tu mihi places multò magis,*
Quàm trux Picrocholus. PHAN. *Si scias, dicas magis.*
TRA *Tibi nunc quid agitur?* PH. *Itur ad dominam.* TR. *Tuam?*
PHAN. *Imò, imò herilem: non enim* Phantastica,
Quamuis faceta. TRA. *Nec fauet credas tibi.*
PHAN. *Nec tibi.* TRA. *Quid? illi nosne faueamus magis?*
PHAN. *Si quid ea poterit apud herum, vtriq; exules.*
TRA. *Ergo arceatur prima, ne nos arceat.*
PHAN. *Arceri amica poterit?* TRA. *Ab amico potest,*
Illum monente. PHAN. *Spernitur amanti monens.*
TRA. *Illam querelis leuibus, vbi desunt graues,*
Calumniante. PHAN *Nulla apud amantem fides*
Calumnianti; cui leuia per se cadunt,
Grauia vel odio, vel oneri. TRA. *Quin est amans*
Mala quaq; credens facile, quæ metuit nimis.
PHAN. *Verum hoc de amante fœmina, non de viro.*
TRA. *Quin si illa, quæ non zelotypa, non est amans,*
Cur non & ille? PHAN. *Maior est virtus viri.*
TRA. *Zelotypus & amans, quasi paria.* PHA. *At impar iugum.*
TRA. *At signum amoris, esse Zelotypum.* PHA. *Vt cinis*
Signum ignis, eius qui fuit, non est. TRA. *Viri*
Vxoribus timere nostrates solent.
PHA. *Mereri ab illis paria vestrates solent.*
TRA. *Timere, & hinc cauere cui nocuit?* PHA. *Sibi:*
Timere cui non nocuit, vbi vis non datur
Cauere? TRA. *Timidus, sic rei timidus suæ,*
Prudens habetur. PHAN. *Stultus est.* TRA. *Audit catus.*
PHAN. *Et cum fele habitet. Sed vide,* Euphrosyne *vt redit* SCE. 5. EV-
A messe anhelans, fessa, languescens, calens. PHROS.

TRA. *Vt*

TRA. *Vt veſte, vt ore mollis, vt aperto ſinu?*
Nos aucupemur abditi, quam rem gerat.

Act 4. Sc. 5.

EVPHROSYNE. TRAQVITAN. PHANTASTICVS.

EVPH. *En tibi litani ſacra, quæ potui,* Ceres,
Sudore mixtum pulueren, ac æſtu ſitim.
Ou. Met. l. 7. *Tu, mea voluptas,* Zephyre *(relenare vt velis,*
Quibus vror æſtus) ô meos intres ſinus
Vni patentes; tu foues, reficis, iuuas,
Tibi proſtitutam: tu facis, ſyluas amem,
Loca ſolá; ab ore hoc aura captatur tua.
Meo labori medicus ô ſolus veni:
Veni Fauoni: Flora *mihi liquit tuos*
Abiens fauores; ô veni, lenis veni.
TRAQ. *Annon videntur hæc ſatis,* Phantaſtice,
Quæ dixit, vt ſtruamus inſidias in hanc?
Age, Microcoſmo *defer, amplifica, aggraua.*
Hic ego morabor, tu citò adducas herum.
PHA. *Mora nulla; gryllis huc feram plenum caput.* Exit.
TRAQ. *Libet experiri interea, an aliquid mea*
Poſſit apud illam lingua; ſi caſtè negat,
Augebit odium; amore, ſi cedat, fruar.

Euph. exit. EVP. O Amor, verax adamas amoris,
Mutuo mentes religans amore,
Mutui mentem releuant amores,
Teſtor Amorem.
Hic Amor mentes benè munit, vnit:
Hic trahit, traxit, tenuit, tenebit:
Mens amans, ſi non redametur, amens:
Teſtor Amorem.

EVPH.

Meditari amores nunc vacat amanti tuos,
Chare Microcosme, *charior vitâ mihi:*
Vitam dedisti, dedimus vtrique invicem,
In amore pignus charius vitâ, fidem.
TRA. *Dea, Diua, Domina; forma quam Dominã facit,*
Virtusq; Diuam, vis Deam, cui vis datur
Corda superandi inuicta summorum ducum;
Loca sola, tempus commodum, & amantem vides
Heroa *qui te, quòd amet, vt redames rogat.*
EVPH. *Insulse* Miles *num decet amici tui*
Tentare amatam? sic amas, redamas tuos?
TRA. *Maledicta mitto; mitto, quòd amico omnia,*
Communia; nec est in Venere constans fides:
Nec syllogismus tentat, at solidè tenet.
EV. *Apage homo nihili; me putas Carnam alteram?*
Sic casus audes? lusus, & mersus cales?
Nisi resipiscis, ad necem casum dabo.
TRA. *Quàm saeua? quàm seuera? sed vera audias.*
Sit stulta, quae sit fida non fido viro:
Non diligentem diligere, qui diligit
Negligere, ineptum est, imò peruersum, impium.
EVP. *Libidinose, credis, vt credam tuos*
Veros amores, illius falsos? vel vt
Tu dignus, ille indignus, vt ametur? vel vt
Decepta ab illo, tibi fides fiat, mihi?
Me prater, aliam si quam amat, quae sit refer.
TRA. *Amauit alias, vt lenior atas tulit,*
Primaueram, Earinen, *& dein* Therinen; *sed est*
Oporine *quam nunc amat, dines, sed &*
Morbosa, anara; at ille post varios, vbi
Steterit, amores? crede mihi, melius me ames.
EVP. *Ego te, qui amico perfidus, & hostis mihi?*
Te lucis odium, Ditis onus, hominum luem?
Quem nequid vltra, fugio, contemno, execror.
TRA. *Age, execraris! perage, contemnis! fugis;*
Non effugis: malitia si quicquam potest,

Æquabo; regem dixeris longâ manu.
Caſu relictum velum hoc augebit fidem
Criminis: ſi illum regeret hoc crimen meum.
Non potero corpus, nomen at potero tuum
Violare: caſta eſt, quiſq; quam caſtam putat.
Illa quota? famâ forſan & amore, excidet.
Venit ecce, vtroq; excutere qui ſolus poteſt.

Act. 4. Sce. 6.

MICROC. TRAG. PHANTAST. ÆSOP.

MIC. *Hæc dixit? heu ſi vera, quàm pereo miſer?*
PHAN. *Hæc illa, & alia, vera vel falſa, haud ſcio.*
MIC. *Falſa illa; at iſta vera nimis: at num mei*
Meminit? an vlla mentio facta eſt mei?
PHA. *Nulla: excidiſti:* MIC. *Imò occidi: ſed quo loco*
Hæc geſta narras? PHA. *Vbi manet amicus tuus*
Teſtis; & is ecce triſtis aduorſum venit.
TRA. *Partes amice quas ago, nolens ago;*
Delator vt ſim, & amicus, & amate tibi.
Sed falſa (quæ non falſa ferè?) pereat priùs,
Quàm fallat, angat Mic. *meum. Dico hoc idem,*
Phantaſticus *quod dixit.* MIC. *O læſam fidem.*
ÆSO. *Nec omnibus, nec nemini adhibenda eſt fides.*
Hoc ledit, illud ludit, vtrumq; eſt malo.
Sic iſti, vt illa, & fallere, & falli queunt.
MIC. *Sed adulterum quem dixit?* TRA. *Adamatum ſibi,*
Qui rapuit aliam, vinxit, implenit ſinum;
Zephyrum *ipſa dixit.* ÆSO. *Ventus is lenis, leuis.*
Auras & vmbras qui timet, vanè timet.
TRA. *At frater eius turbidus* Boreas *ferox*
Minyas *gemellos genuit è raptâ ſibi.*
Et Zephyro *eodem implente granidatas equas,*
Equus vbi nullus, hiſtoria memorat frequens.

In

In fœminis quid? in feris qui sic agat!

MIC. *At* Flora *amores illius secum tulit.*

TRA. *Absentis illa traditas supplet vices.*
Quin me, calentis vt furor turgens fuit,
Præsens vocauit in stuprum, & velim dedit,
In signum amoris; at ego, quod amicus tibi,
Illam execratus, in fugam, iratam dedi.

MIC. *Agnosco pignus; vix tamen credo scelus.*
Nec nisi quod oculis conspicio credam meis.
Experiar ipse (nam mihi formas dabit
Vertumnus *omnes) an moueat illum furens*
Libido, vel, quæ mulieribus, auri fames.

ASO. *Quid quæris amens, in malum solers tuum?*
Cupis inuenire, quod statim inuentum dolet.
Dum credis, auges; cum times, minuis fidem.

MIC. *Libet experiri: nam quid expertum nocet?*
Si casta, mea sit, si incesta, sit cuius libet. Abeunt cæteri.

TRA. *Bene est; hoc est par* Cephalo *inuentum, & parem,*
Nisi mea me mens fallit, euentum dabit.
Nam fulgor auri mulierem quam non mouet?
Iupiter *in aurum versus in* Danaes *sinum*
Struxit patentem, quâ patent omnes, viam.
Arcem auro onustus asinus obstructam capit.
Deos & homines dona conciliant: nihil
Auro obstat: aurum nos probat, vt aurum lapis
Lydius; auara & fœmina vt dicant idem.
Hinc mihi & amicus stabit, inimica & cadet.

Act 4. Sce. 7.

EVPHROSYNE.

EVP. Microcosme, *nam te video, te absentem alloquor,*
Solumq; meditor; tædium num te mei
Cepit? ad amores quin redis constans tuos?

Siceine ſoletis, dum proci, quoties datur
Vna hora veniæ, adeſſe, comitari, ſequi?
Poſt vbi potiri datur, vbi adiuncta eſt fides,
Negligere amorem, inuiſere vt vobis vacat?
Sed ferre noſtrum eſt, quicquid eſt libitum viris.
Alienus animus ne ſit, & quiduis feram.
Sed en Opyrine æmula accedit: quid eſt
Nunc Nympha agendum? quò vocas? nam te ſequar.

Act. 4. Sc. 8.

OPORINE.

OPOR. *Celebranda* Bacchi *feſta, niſi panam ferat,*
Quam deſpicata Mineia proles tulit.
Vina vuæ, & vuas melius vt vites ferant.
EVPH. *Modò turpitudo nulla dedecoret, ſequar.*

Act. 4. Sc. 9.

BACCHVS. THYRSIGERI. MICROC. vt mercator.

– Cantio THYR. Euohe Lyæe, ignigena, bis genite, vuifer.
BACCH. *Vindemiantes, grata quæ facitis, ſacra;*
Accepta feſta, Phiditia: ſi quâ meus
Iuuare poterit (& poterit aliquâ) fauor,
Fœcunda vitis palmites latos ferat;
Palmes prorepens pampinos grauidos geret;
Pampinus opacus penſiles vuas dabit;
Vua generoſa fundet exhilarans merum;
Merum profuſum ſoluet arumnas graues.
Nam mihi choreæ, cantus, amor, hilares placent;
Et vitæ alumnæ Phiditiæ, *amoris iuga,*
Quæ qui odit, homines odit, exoſus Deo.
Sin veſtra vitem terra vix tulerit meam,
Ex vite vinum; fundet at vini vice

Zythum

Zythum recoctum forte lupulato hordeo;
Stomacho & palato dulce, nec cerebro minus.
Quin quasi tributa, vina transmittet sua
Hispania, Rhenus, Gallia, & Græcæ Insulæ.
Sentiet opem & opes, nauta, mercator, meas.
Sed arua pergo visere, vt fructus beem. Repet. cant.
Cantio THYR. Euohe Lyæe, ignigena, bis genite, vuiser.
MIC. *Nympha licet vnum quærere? in* Bacchi *sacris*
Qui fit, reportet sacra cornutus Deus?
EVPH. *Cornua quòd addat pauperi, in bella apparet,*
Incitet inermem, spe ratâ audentem nimis.
Ammoni *patri, matri* Amalthææ, *sacrum*
Cui cornu, & illud Copiæ cornu, refer.
MIC. *Ferre hæc marito signa, vix cordi putem.*
EVPH. *Ne metue: sacer est; caditur* Baccho *caper.*
Sed tu quis? vnde? MIC. *Ex India merces veho,*
Et aurum, & auro multa maioris pretî.
En cistam, in illa quicquid extrema India
Dives, relucens, aureo abscondit sinu.
Pyropus *en vt rutilat, en* Adamas *micat;*
Smaragdus *hic vt viridis, vt nitet* Vnio!
EVPH. *Placet hoc & illud; Vnio inprimis placet.*
Adamas *amoris firmitas & vis, focus*
Est in Pyropo; *casta sim radians monet*
Smaragdus: *at vt hæc quæ placent, non est, emam.*
MIC. *Emere nec opus est; nec loco merces meas*
Pretio, nisi vno. EVPH. *Quo?* MIC. *Facile quod sit tibi.*
EVP. *Quid illud?* MI. *Vnum.* EVP. *Nempe.* MI. *Sine damno datur.*
EVP. *Quid deniq;?* MI. *Amor est* EV. *Est amor; cuius?* MIC. *Tuus.*
EVP. *Meus? at amorem vni & dedi, & seruo meum;* *Ou. Met. 7.*
Et seruor vni. MIC. *At alteri partem potes.*
EVP. *Non potero; totum se dedit, totam refert.*
MIC. *At.* EVP. *Nequid vltra.* MIC. *Respice monile hoc tamen.*
EVPH. *Monile clarum si aspicio, fadam arguet,*
Quòd nunc, vt olim, audiuerim indigna auribus.
MIC. *Cur non, vt olim, nunc mihi? quod actum alteri,*

Quin mihi? EVP. *Quid vrges? fateor, auditum.* MIC. *Quibus?*
EVP. *Quid tua? an vt alijs, quos amem, auſcultem iubens,*
Num tibi neceſſe eſt? MIC. *Cedat his gemmis amor.*
EVPH. *Non ſi Imperantum gaza, ſi tota* India
Pro te rogaret, flectar: at tu mox fuge,
Ne, cum redierit Bacchus, *vt meritus, luas.*
MIC. *Quos dicat alios, vna diſcendi eſt via,*
O ſic ab illis conſtet vt ab auro, integra, Abit.

Act. 4. Sce. 10.

BACCHVS cum ſuis redit. MIC. vt ſacerdos.

THYR. Cant. Euohe Lyæe, ignigena, bis genite, vuifer.
BACCH. *Agite* Britanni, *chara gens (ſi qua eſt)* Ioui;
Et cura Baccho: *veſtra ſi noſtis bona,*
Gaudete veſtris: nullâ, quam norim, magis
Beata Rege, ſuis ditis, cœlo, ſolo.
Albion *vt olim dicta, nunc verè* ὀλβιον.
Sed noſſe Bacchum *quis neget terram vltimam?*
Nec eſt Lycurgum, *aut* Penthea, *vt vobis miner;*
Me chariorem hic inuenio, quàm det fides.
Suſpenſa docet hic Hedera *me multùm coli.*
Multam ſalutem, (multa ſi Baccho *ſalus)*
Vobis propino: pergite, colatur Deus. abit cum ſuis.
MIC. Baccho *recludi operta, non tantum ebrij,*
Sed imitatis, Nympha, *tibi notum.* EVP. *Quid hinc?*
In corde quod ſit ſobriæ, id in ore ebriæ?
MIC. *Tam vera ſit, quàm ſobria es, potiùs velim.*
EVP. *Bonus videris: quid rei?* MIC. *Ex ore hoc tuo*
Mercator ad me retulit, vri te viro
Amorem, at alijs aurem adhibuiſſe. EVPH. *Et quid hinc?*
An quæ audit, omnis amat? MIC. *Ita fit vt plurimùm.*
EVPH. *Surda ergo ſit quæ caſta: quin ſimili modo*
Sit cæcus ille, qui eſſe zelotypus neget.
MIC. *Auditi an alij tantùm, an admiſſi amplius?*
EV. *Addo quòd amati.* MI. *Qui?* EV. *Mane.* MI. *Dic, qui?* EV. *Ioquar.*
Era,

Erat Adoleſcens primus amor, ortu inclytus,
Formâ antecellens, clarus ingenio: tuit
Paſtor ſecundas iuueris; atate hinc pari
Piſcator eſt amplexus: & quarto loco
Orcheſta: quid miraris? MIC, An numeras ſcelus?
Sed adhuc & alij? EVPH. Adortus eſt vnus, ſed eſt
Repulſus: eſt auditus alter; at nunquid tibi
Mercator aliud, eſſe quàm auditum? MIC. Nihil.
EVPH *Quin nunc, fatebor, vir gratus quidam mihi*
Arridet; ille, ne morer, tu vir gratus.
MIC. *O Terra, Cœlum, maria, & inferni ſpecus,*
Duratis? vt ſit tam bonâ facie impudens?
Perfida teneris, teſte me. EVP. *Te Iudice.*
MIC. *Tu prodidiſti te mihi.* EVP. *At tu proditor.*
MIC. *Vt illa perſtat, nec pudet!* EVPH. *Perſto; nec eſt*
Cur pudeat. MIC. *Annon data fides?* EVPH, *Fateor datam.*
MIC. *Nonne violata.* EVP. *Non mihi, at forſan tibi.*
MIC. Æſope, *Amice, adſi is, & famuli ſimul.* *Intrant Trag. Æſo. Phæni.*
Hæc nuper animâ charior, & aurâ mihi.
Suum profeſſa, mihi, ſed ignoto, ſcelus,
Noto negat: ſed arguo fatentem ream:
Quatuor amores nonne narraſti tuos?
EV. *Affirmo.* MI. *Satis eſt.* EV. *Nempe.* MI. *Quid plura?* EV. *audias.*
E quatuor tu primus. MIC. *Vt credam, ſed eſt*
Paſtor ſecundus. EVP. *Tuq; cum ſimulas apem*
Pupugiſſe labrum, paſtor, aut ſimulas, eras.
EVP. *Memini: ſed ille tertius!* EVP. *Quiſnam fuit?*
MIC. *Piſcator.* EVPH. *Et eras, ex aqua cum me leuas*
Subperſam. MIC *Et illud memini; at is quartus quis eſt*
Orcheſta? EVP. *Tute,* Heroe *ſublato, tuum*
Cum te redire volui. MIC. *Et hoc memini.* EVP, *Atq; ita*
Primum, ſecundum, tertium, quartum, te amo.
TRA. *O mirum acumen mulieris, vt omnes plagas*
Vitat! vt in ipſum vertit & plagas ſuas!
MIC. *At dum quis eſſem, & qualis, ignotus fui,*
Me amare, vt olim, nunc & ignotum dabas.

EVP.

EVP. *Te ſemper; olim nouera* Florâ *indice,*
Nunc paſſiones te retexerunt tuæ.
MIC. *Mercator etiam notus?* EVP. *Ille vnus fuit,*
Quem neſciebam; & ideo neglectus fuit.
MIC. *At quis te adortus deniq;* EV. *Ille hìc quem vides*
Amicus, & te detulit falſum mihi.
MIC. *Pol haud amicè: ſed vide hoc velum, tui*
In ſignum amoris. EVP. *Excidit caſu, fugam*
Dum fecit ille, vt territæ Thisbe *Leo.*
TRA. *Tentare volui, vt ſi rea, referrem ream.*
Sin proba, probarem. MIC. *At tu proba, vt prorſus ream,*
Scelestè detuliſti: at & Zephyrum *tibi*
Retulere amatum, & ille, & hic alter meus.
EVP. *Vt aura nempe* Cephalo, *vt refrigeret,*
A meſſe cum calebam. ÆSO. *Id augurium meum.*
MIC. *Vos ergo vtrìq; abite mox in rem malam.*
TRA *Amice.* MI. *Num tu amicus?* PHA. *Here.* MI. *Nũ tu meus?*
Purganda domus hæc tam nigrie ſedis malis.
EVP. *Ignoſce* Microcoſme. MIC. *Tu potiùs mihi*
Ignoſce ſponſa; quicquid eſt, in te fuit
Peccatum, & a me, dum fides non ſit tibi,
Cui ſumma, at illis, nulla quibus, omnis fuit.
Sed meliùs ætas reliqua procedat precor.

Act 5. Sc. 1.

HYEMS. *Eſt mihi loquendum? quid? meum ſeruum pete.*
GASTRIMARGVS PARASITVS.
GAST. *Terra peragrata eſt:* Phœbe *num terram vides?*
An potius ortus Aere, per Ignem means,
Terram relinquens, nunc Aquam feſſus petis?
An ſedem aquoſi figis in cornu capri?
An aquas profundit, qui Ioui *nectar, tibi?*
An feſta claudi in Piſcibus *aquoſis lubet?*
Vt pulchra in atrum deſinat piſcem Venus?

Sanus

Saturnus, *an liberta* Saturnalia,
Geniale feſtum Ianus, & Gamelia;
Luſtrationes Februa Lupercos *leues*
Iam pollicentur? Annus vt tandem retrò
Voluatur, vnde incepit; & ponat Lyram
Ad Pacis aras, vnde proueniat quies,
Gloria, poteſtas, gaudium, vbertas, amor.
His proma-conda fructibus nutrix Hyems.
Sed Hyemis *en imago* Microcoſmus *venit.*

Act. 5. Sc. 2.

MICROC. ÆSOP, GASTRIMARGVS.

MIC. *Æſope, tandem ſentio, quod olim mihi*
Dicere ſolebas, vt diu viuam ſenex,
Citò inchoandum: vt Hyeme *geniali fruar,*
Citò congerendum; vt audiam frugi, bonus,
Citò prouidendum: at ſerò iam video, & dolet.
ÆSOP. *Certè dolebit poſtea, qui antè haud cauet.*
At ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
Nec ſera penitentia, vbi vera eſt, nocet.
Nec pœnitenda multa tamen, vt ne audias
Frugi, bonuſq;, hucuſq; præreliquis reor.
MIC. *O ſi iuuentam reddat exactam Deus,*
Quàm mihi ſtuderem? quanta congererem bona?
Quanti æſtimem vectigal id ſummum, bonis
Parcere, *vt aceruus indies accreſceret.*
Cui, quòd marito, quòd ſeni deſit, graue eſt.
Vt ſæpe, vt acrè pungit id dictum tuum?
Luxuria inopiæ mater: *O quàm nunc inops!*
Exeſus acſi Tityus *ab auibus, luo.*
Laniatus acſi à canibus Actæon, *gemo.*
Diſcerptus ab equis qualis Hippolytus, *queror.*
Formica quanto cautior, quo ditior?
ÆSO. *Domine.* MIC. *Nec hoc me nomine: cicadam voces.*

ÆSO. *Si est æquus animus, & erit (est Dijs gratia)*
Satis, vnde abunde & vxor, & frugi domus
Vt læta, lauta viuat: at mens si tibi
Iniqua, quod habes decrit, & quod non habes.
MIC. *Quid habere, abunde, læta, lauta sic crepas?*
Nihil horum: id haret vnicum, deerit mihi.
Mirum, tuâ de gratiâ ni Iupiter
Plaut. Aul. act. 1. *Me* Crœso *ab opibus faciat, aut* Crasso *parem.*
Mirum me opes habere, nisi blateres foris.
Ait non habere, conscius testis potes
Iurare: nam qui prodigus festo die,
Profesto egebit: perditus (nosti) nepos
Sub vere primo ætatis, æstate effluens,
Nec messe parcus, quid in hyeme restet puta,
Quin dicar, & sim pauperum pauperrimus.
ÆSO. *Ex mente, fateor: pauper est, qui se putat:*
Non pauca quisquis possidet, sed plus cupit.
Cui quod necesse est, quod sat est, is diues est.
Securus, hilaris, sibi vacat, viuit suis.
MIC. *Tu pauper esto, diues ego.* ÆSO. *Malim bonus.*
MIC. *Et diues idem.* ÆSO. *Vix simul iungas.* MIC. *Bona*
Qui multa numerat, facilè numeratur bonus.
ÆSOP. *A numero, iniquo iudice.* MIC. *A summis viris.*
Quibus ille solus, quisquis est diues, sapit:
Non ille solus diues est, quisquis sapit.
Tam diues ô sim, quàm facilè sapiens, bonus.
Sed heu requiro quæ Iouem *teneant, opes:*
Has si tenerem. ÆSO *Credo; non tu illas tenes*
Dominus, sed illæ te tenent seruum: tua
Non sunt, earum tu potius: at si lubet
Rectè vti (vt vsus res probat) adhuc sunt tibi
Prædia opulenta, & annui reditus, quibus
Viuas, parentes vt priùs, famâ integrâ.
MIC. *Æs & alienum, & nupta, cui præter suas*
Vestes, vehiculis, pedisequis, famulis opus.
Mea, vt parentes mihi, meis sic me decet

Augere:

Augere: ſi quid igitur in te ſit boni,
Tirelia Vlyſſi *narra, vt accumulem bona.*
Rides, & inopem, cuius ope viuis, Canis?
Tu Gaſtrimarge, *quid melius?* GAST. *Altum otium*
Propino, tutus, tectus vt maneas domi.
Viue tibi, id etenim eſt viuere. ÆS. *Latere eſt magis.*
GAST. *Minuenda pompa vxoris, vt clauſa ædibus*
Veſtes, vehicula, pediſequas, famulos leuet.
Non exeunti quid opus? ÆSO. *O ſordes putres!*
Incarcerare tam bonam, pulchram potes?
GAST. *Quin parce, parce, parce, non genio tuo,*
(*Nec opus*) *at auibus, canibus, & alendis equis;*
Quin addo, famulis: quatuor vel tres, ſatis.
Ego promus, obſonator; erit alter coquus.
Anus vna Domina, ancilla ſi ſubſit, ſatis.
Ille Canis abeat, quem ſat aluiſti diu.
Quem doceat, alium quærat; es doctus ſatis.
MIC. *Dicta hæc pereunem tibi dapinârunt cibum.*
ÆSO. *Microcoſme dico, non here, aut ſi ſis herus,*
Libera December *verba, vel ſeruo, facit.* Hor. l. 2. ſat. 7.
Dico tibi conſta: namq; inæqualis natas;
Nunc rectus, & nunc prauus; vt non tam vafer
Vertumnus: *vrbe rus amas; rure, vrbis es.*
Sis totus in te (conſulo) rotundus, teres.
Quid pondus auri te iuuat? an illud times
Redigere ad aſſem? niſi facis, quid pulchri habet
Acceruus ille? è flumine haud plura hauries,
Quàm è fonte ſeruus: nil ſatis credis tibi?
Vbiq; tanti quiſq; quantum habuit, fuit?
Miſerum libenter eſſe te iubeo: tibi
Tu plaude, ſi te ſibilat populus: ſitis
Tantale, *ſub vndis merſus: indormis, quibus*
Inhias: quod optas, cum tenes, vſu abſtines.
Hoc iuuat? egenus ſim patior, hoc ſi iuuat.
Sequitur auarum cura comes atra, & premit.
Quid mihi minaris? & manum & ſtomachum tene.

Dico

Sit congèrendi modus. MIC. *An insanis?* ÆSO. *Nihil*
Minus. MIC. *Ergo lapidem, quo canem hinc abigam, velim.*
ÆSO. *Sic scilicet me es vsus, vt vetulo cane.*
Panis catello, fustis aut funis seni est.
Baculum paratum, quo canem cædas, habes.
Custodibus sed canibus, in Capitolio
Cibaria allocantur, vt fures notent:
Hic furi, vt abigat φιλοδεσποτίων canem.
MIC. *Quia luce latras; quin herum adlatras, cibum*
Subduco: quod non crura suffringam, bene est.
ÆSO. *Canem fidelem, stulta ouis, tradis lupo.*
Mihi vincla demis: abeo, sed quò me iubes?
MIC. *Quò dignus es.* ÆSO. *Ni fallor, in vestram domum.*
MIC. *Falleris; erithacos non alet domus hæc duos.*
I; disce nunc subesse, vel pereas fame. Abeunt MIC. GAS.
ÆSO. *O execranda tempora, ô mores malos!*
Act. 5. Sc. 3. *Ingrata vt hominum monstra! quàm raro inuenit*
Chiron Achillem? Magnum Aristoteles? Pium
Marci *educator*? Plinius, Ausonius, *Bonos*;
Qui consulatum deferant doctoribus:
Sancti parentis esse voluerunt loco
Olim magistrum; & quæstio, parenti an magis
Pueri, an magistro summa deberent bona.
Alter, quòd vt sit, vt bene sit alter ferat.
Gaudet Philippus *filio* Magno, *at magis*
Maiore præceptore: quo Magnus *magis*
Doctore, quàm victoriis gaudet suis.
At nunc Magistri munere, ministri audiunt
Onere: vt recessit virga, vix paret puer;
Minùs adolescens; iuuenis oblitus; vir est
Alienus; at si premimus, inimicus senex.
Hic Gryphus auidus, aridus pumex, tenax
Polypus, vt auro incumbit, vbi non est opus?
Viaticumq; quærit, vbi curta est via?
Inhiatq; puluis pulueri, cineri cinis?
In os liquescat, Crasse, *tibi votum tuum.*

Dives

Diues, miserq; quasi Mydas, *quod habes fuge.*
Mihi terra quauis patria; mea mecum omnia.
Sed Domina, cuius miseret, en ædes fugit.

Act. 5. Sc 4.

EVPHROS. CHIMERINE. ÆSOP.

EVP. *Fugiamus hinc matrona, tu sequere ocyùs.*
CHIM. *Ocyùs? hoc oneris quod fero, vt properem neget.*
EVPH. *Quid oneris?* CHI. *Annos nempe ferè nouies decem.*
Accedit & ad hos seruitus, frigus, sitis.
Nec fugere mens est, quos diu colui, Lares.
Sed chara Domino, quæ ratio, fugias, monet?
EVP. *Chara fui, vt antè libera; sed vt nunc habet,*
Captiua, serua, carceri includor, minis
Vexor; querelis, iurgijs crucior; sed quæ anis
Non fugiat, hora si fugæ è caneâ datur?
CHI. *Domi porta potiùs vxor ὀιχωρὸς placet.*
Probam, maritum ferre morosum, decet.
EVP. *Morosus ille, fateor: at num nos nihil*
Nisi, ferre, ferre, ferre morosos decet?
CHI. *Ferendo flectes; nisi feras hunc, quem feres?*
Sed te quod angat, quid agit? an quod nil agat?
EVP. *De nocte somnum non capit; nec fert, ego*
Vt capiam; ab imo corde suspirat, gemit,
Quasi subsequente mane figendus cruci.
Interdiu insensatus, hîc totos dies
Impexus, horrens, claudus vt sutor, sedet.
Iners, sneptus dum tacet; mordax, furens,
Cum loquitur: ego, si quid loquor, videor leuis;
Sin taceo, grauis; irata nil prosum; minùs
Blanda; magis odio culta, quàm inculta, indecẽs.
Foris esse scelus est, nec salus semper domi.
Nec quid agat ipse nouit, aut quid me velit.
Lupus tenetur aure; teneo? mordeor:

Dimitto? morior: præstat huic vitæ mori.
CHI. *Miseret mehercle.* EVP. *Quàm misera dego interim,*
Cuius misereat? quæ supra inuidiam fui:
Quin mihi pedisequas abstulit, famulos sibi;
Vtriq; vt vrbi simus opprobrium graue.
Tres modò reliquit, te, coquum, promum, & mihi
Ancillam: an illum sic decet, & in me decet?
CHI *Vt vera dicam, non decet: sed quam refert*
Causam ipse? EVP. *Inopiam; quam miser semper crepat.*
CHI. *Plusquam opus opinor.* EVP. *Præter* opus *illi est nihil*
In ore; quòd inops clamitat, egenus, miser.
Sed quæ miseria est, nisi miser cum nil sonat?
CHI. *Fortè respiscet.* EVP. *Nulla spes, qui iam senex,*
In melius vt eat. CHI. *Moneat Æsopus grauis*
Meliora. EVP. *Honestè monuit, ideoq; est grauis;*
Et exul. CHI *Exul? exul Æsopus? probus*
Olim sodalis, chorus etiamnum mihi?
Æsopus exul? flamma mihi surgit vetus.
Vt cuncta patiar, non patiar illum exulem.
Æsopus exul? ÆSO *Adeo: res agitur mea.*
Dilecta Domina, chara Chimerine, *quid est?*
Quò me recipiam expulsus indignis modis?
CHI. *Expulsus? at enim non feram, vir tam bonus*
Pellatur. ÆSO *At enim non tibi ferendum, at mihi.*
CH. *Tun' exul?* ÆS. *Ita fit.* CH. *Tun' abis?* ÆS. *Et mox.* CH. *Mane.*
ÆS. *Vtinã.* CH. *Manebis.* ÆS. *Negat herus.* CH. *At aio.* ÆS. *Vale.*
CHI. *Te abeunte valeam? quæ furens an flens magis*
Sim nescias; Æsope probe, fide, innocens?
Sed insolentem dum alloquar Dominum, mane.
Exi here. MIC. *Quid anus est?* CHI. *Est anus, at olim tibi*
Nutrix, parenti vtriq;. MIC. *Quid memoras? moras*
Ne trahe. CHI. *Sed audi.* MIC. *Non vacat aniles mihi*
Audire nugas. CHI. *Non erunt nugæ.* MIC. *Breues*
Sint ergo. CHI. *Multa.* MIC. *Multa? non est otium.*
CHI. *Tria verba.* MIC. *Verba? Verba nulla inopem leuant.*
CHI. *At hæc leuabunt.* MIC. *Afferent aurum?* CHI. *Id quoq;.*

Sce. 5.

MIC.

MI. *Idq́, mihi cedet?* CH. *Id quoq́.* MI. *Et multum?* CH. *Id quoq́.*
MI. *Age dic.* CH. *At.* MI. *At, quid?* CH. *Ante.* MI. *Nihil auro est prius.*
CH. *Aurum.* MI. *Age.* CHI. *Priusquam assequere, da rursus fidē.*
MIC. *Aurum modo esse.* CHI. *Das fidem in leges meas?*
MIC. *Do; quas?* CH. *Id aurum vt ceperis, auarum exues.*
EVPH. *Æquum est, vbi sitim expleueris, ponas sitim.*
CHI. *Hydropici instar, nec tuam repetes sitim.*
MIC. *Modò explcatur, fiet.* CHI. *Æsopus bonus*
Non exulabit; intimus sed erit tibi.
MIC. *Fiet.* CHI. *Erit vxor chara, ditata, vt decet.*
MIC. *Fiet.* CHI. *Familia & mensa, quàm fuerat, frequens.*
MIC. *Erit vnde?* CHI. *Abundè.* MIC. *Fiet; aurum adsit modò.* Theſes
CHI. *Tu me artis operâ parere posse aurum putas?* Oxon: tum
MIC. *Pollicita, non ex arte, natiuum magis.* diſputatæ.
CHI. *Imaginare, & inde corporeum venit.* Phyſ.
MIC. *Imaginari, insomnium; sed rem volo.* Polit.
CHI. *Partum tueri; an parere tu potius putas?*
MIG. *Sit mihi tueri facile, tu parias prius.*
CHI. *Natura iustum hoc te facinus, an Lex rogat?*
MIC. *Natura reliquis iura det, tua lex mihi.*
CHI. *Stricto teneris iure, vel rectâ fide?* Iurid.
MIC. *Est fœdus initum quod fide fiet bonâ.*
CHI. *Probata sequeris, an tuæ menti insita?*
MIC. *Cupio probari quæ meæ menti indita.*
CHI. *Lac illud auri an aureos mores feret?* Medic.
MIC. *Lac prome nutrix, aureum infantem alo.*
CHI. *Haurire fumum, vel potius aurum placet?*
MIC. Tabaccoiſtis *fumus in pretio, mihi*
Potabile aurum: profer hoc aurum precor.
CHI. *Leges minores tu Domina sanci interim.* Exit.
MIC. *Anus ista differt credis, an id aurum afferet?*
EVP. *Spem fecit.* MIC. *At rem malo.* CHI. *Si præstet, fides*
Data liberalem, candidum, placidum fore.
MIC. *Ne verba data sint vereor.* EVP. *In hoc imò fides.*
MIC. *Data.* EVP. *Sed & omnes, quos priùs alueras, ales;*
Renocabis & in his Militem: exemplo meo

Ignosce:

Ignoſce: ſpondes? MIC. *Spondeo: ſed aurum.* EVP. *Sed &*
Feſta celebrabis, lætus & lautus, cibis,
Ludis, amicis. MIC. *Oua dinumeras priùs,*
Gallina quàm pepererit: acſi ſomniet
Mendicus aurum, ſed vigil pereat fame.
EVP. *Quid illa ſi te luſerit?* MIC. *Se laſerit.*
Men' illa ludat? metuo, ne ludat tamen.
Exi anus. CHI. *Here quid eſt?* MIC. *Dicere pupillum ſolet.*
Habes id aurum? CH. *En habeo.* MI. *Des.* CH *Nondum* MI. *Meũ eſt.*
CHI. *Tuum erit; an illa pollicitus eſt?* EVP. *Eſt.* CHI. *Habe*
Ollam auro onuſtam. MIC. *O* Plute *terrarum Deus.*
O quàm iuuatis Iupiter, Iuno, Lares!
Plaut. Aul. act. vlt. *O* Hercules Auguſte Theſaurarie.
O ſanguis, anima, ſpiritus mortaliũm.
O Cordiglis medice, Medicina, in meis
Luctibus, inopijs: vt ſenem, miſerum ſenem,
Miſerati? vt vlnis vos teneo? dulci oſculo
Excipio, mille nec ſatur complexibus!
Ioue *digna nutrix. Cornu* Amal*theæ tibi*
Debetur, ex quo profluat potus, cibus.
Agite ergo, quantes ſumite hos latos dies:
Nec vina deſint, nec dapes: Bacchus *fluat.*
O quàm intueri iam iuuat amores meos!
Sed ſeparatim: nolo participes Deos.
Quàm ponderoſum eſt! quàm tamen pondus leue!
Sed vnde Nutrix tanta, dic breuiter, bona?
CHIM. *Bonæ Memoriæ mater, inprimis proba,*
Prouida, pudica, poſthumo indulgens tibi,
Teneros vt annos regeret, Æſopum *addidit.*
Sed inde verita, ne patrizares male,
Moribunda, iam iuratæ, & hanc ollam dedit,
Et alia, at illa non nimis magni preti.,
Hæc, *ait, egenti filio, at mentis bonæ,*
At non niſi egeat, & bonæ mentis, dato.
Quòd illa moriens credidit, ego dedi tibi.
MIC. *Viuæ mulieri, aut mortuæ, an credam? ô ſcelus,*

Aperta,

Aperta, terram præter & verſus, habet
Nihil intus olla. CHI. *Nihil?* EV. *An hoc aliquid nihil?*
MIC. *Nihil eſt; nihil ſum; tu nihil; nihili omnia.*
O ſpes inanes, ô anum turpem, ô ſenem,
Qui ſunt, fuerunt, omnium maſtiſſimum.
A matre, & a nutrice ſic ludor miſer?
Num mater aurum dixit? CHIM. *Oſtendit mihi.*
MIC. *Tu ſuſtuliſti.* CHIM. *Teſtor illum leues*
Vmbras. MIC. *Quod aurũ verteris in vmbram leuem.*
ÆSO. *Quin terra grauis eſt: fortè & in terram redit,*
Quod terra fuit. MIC. *An perditum rides Canis!*
An tu indicaſti nemini? CHI. *Æſopo ſemel*
Tale aliquid. MIC. *Heu me.* CHI. *At ille iuratus fidem*
Dedit. ÆSO. *Exulare & maluit, quàm vel tibi.*
MIC. *Ambo, ambo fures: dabitis & pœnam cruce.*
ÆSO. *Scrutare terram.* MIC. *Terra, terra eſt; en nihil*
Præterea. ÆSO. *An auri ſemina?* MIC. *Nec illa.* ÆSO. *At lege*
Verſus. MIC. *Inanes nec amo, nec amaui vſpiam.*
Si bonus es, vltrà perge: ſin malus es, peri. Sir Phil.
Terræ auidus, o: tus terrâ, & in terram incidis. Sidnej.
Mala terra, Mater, hos mihi fructus paris?
Dehiſce terra, Matri vt occurram, cape.
At priùs in iſtos fiet exemplum graue;
Ridere, compilare ne Dominum audeant.
ÆSO. *Illa benemerita.* CHI. *Imò ille bene meritus.* MI. *Crucem*
Ambo, & feretis. ÆSO. *Sponte confeſſa eſt, parens*
Quod tibi reliquit. MIC. *Conſciam teneo: nihil*
Profert. ÆSO. *Et illa fortè leganit nihil.*
MIC. *Fortè? at quid aurum dixit? & vidit? nec eſt:*
Te teſte? fortè & fure? CHI. *At Æſopus locum*
Neſciuit, vbi repoſitum. MIC. *At inquirens trifur*
Inuenit; vt me ludat, hanc auri vice
Terram repoſuit: clara res; ambo luant.
ÆSO. Chimerine, *& aliam dixeras ollam mihi.*
CHI. *Bene meminiſti; & illa tam ſimilis fuit*
Iſti, vt ſit inde forſan errori locus.

Here, restat alia, & illa tibi faciet satis.
Eamus, vt visamus, at soli duo.
MIC. *At nolo ludus denuò fieri: sequor.* Exeunt.
EVPH. *Æsope, an ista proposita Comœdia*
Desinet in eius & tram tragicè necem ?
In hos furores domini, & in luctum meum?
ÆSO. *Domina, est vt ansa, & olla sic nobis duplex,*
Quasi sortis vrna, quam Sigismundus *suo*
Præclarus Imperator, & honesto Aulico
Posuit honoris, præmij, fati loco.
Hæc intus auro pyxis, hac plumbo grauis:
Illi nec hâc est, simile lac lacti magis:
Vtram tetigeris, fatum habes, siue aureum,
Siue benemeritis plumbeum: quod nunc fuit.
Sed fronte, mente, lætior, Dominus redit. Redeunt.
MIC. *O Dij propitij hominibus: O lepidus dies.*
Euphrosyne *habetur aurum, & id plusquàm velim.*
Æsope, Nutrix, *gratiam accipite, & date*
Veniam roganti: O VXOR *ignoscas mihi,*
Ignoscite omnes, si quid imprudens, furens,
Auarus egi, melius & posthàc agam:
Et quod placuerit imperes VXOR *mihi.*
Perdite, profundite, agite, quod vobis lubet.
EV. *Quod ergo dictum est fiat.* MI. *Æsope es (puto)*
Memor, in Adelphis Mitio *quid fecerit,*
Fratris rogatu & filij. ÆSO. *Vt memini, nouus*
Maritus, & post lustra ter quina, est datus
Decrepitæ & anni. MIC. *Cupio, tu facias idem.*
Promitte. ÆSO. *Omitte.* EVP. *Quod petimus omnes, age.*
ÆSO. *Absurdũ, ineptum; at fiat.* CHI. *Annos plurimos*
Hoc ego rogaui numina, quod hodiè obtigit.
Intrant Traq. Eut. Picro. Phã. Oud. Hect.
EVP. *Vt festa celebrent ludicra, en adsunt tui*
Omnes, in illis Miles. MIC. *In amicum meum*
Recipio. TRA. *Testor, nulla fuit animo quies,*
Alienus ex quo factus es mi Mic. *mihi.*
EVP. *At nunc amore festa celebremus pari:*

Tu Domine quaſi pſeudonyme, Traquitantos *rege.*
TRA. *Mihi imperandum eſt ergo, parendum omnibus.*
Militis, *vt aciem inſtruere, ſic feſta arbitror.*
Totum agmen ergo ſit ſatellitium meum.
OMN. *Sumus Imperator.* TRA. *Nolo ego* Lupercos *lenes;*
Faciem cruore, vt illitam pueri gerant
Quæ rideatur, lacte cum lota enitet.
Nudata nolo corpora, vt virgis luant.
Nolo pede in vno curſitent, nolo manus
Pulſent; vt alij verberent cacum, vel vt
Alios prehendat cæcus; hæc nihili puto.
Inuenta noua qui dederit, huic aurum dabo.
Periclitemur interim (vt memini) duo
Certamina; eſt Tauri alterum, Haſtarum alterum.
Oudene, *paratus Taurus? aggredere; impigrè.*
Canis en vt humilis inſinuet, altum petens:
En Taurus acer, flammiger, toruus, furens,
Dolos vt addat robori, robur dolis.
Cane, cane cornu ne vrat: hem laudo: ſat eſt.
Nunc age, in arenam velites Haſtis duo
Armentur: in equis non opus: reſonent tubæ.
En verus Hector, *lora traiectus pedes,*
En falſo Achilles, *ſaucius ſolos pedes.*
OVD. *Adhuc rebellas victé?* HE. *Vincendum priùs.*
OVD. *Sic adigo.* HE. *Sic repello.* OVD. *Sic actum vrgeo.*
HEC. *Sic replico.* OV. *Sic te fodio.* HEC. *Supplantas magis.*
OV. *Euerto.* TRAQ. *Satis eſt: talibus præludijs*
Celebranda ſurgunt Feſta: num plures vacat?
EVP. *Plures vacabit aſpicere ludos: priùs*
Votis petenda blanda Pax, mitis Dea;
Deſit triumphus, hoſtis vt deſit; Duces
Sint glorioſi pace, quàm bello magis.
Gerat arma Miles ſola, quibus arma obruat.
Niſi pompam ouantem, nil fera cantent tubæ.
Timeat Britannos *terra vicina, vltima;*
Hæc, illa, ſi illos non timeat, illos amet.

Ou: Faſt. l. 1, f.

Domus illa, pacem quæ dedit, pace affluat.
MIC. *Bene sis precata: at festa pergamus sequi.*

Intrant CALEND. DEI. DEAE. Omnes cæteri.

CALEND. *Siste* Microcosme, *te, tuos: vt se, suos,*
Vertumnus *ad tribunal hoc sistit lubens.*

HOmo, Annus, ætas hîc modum statuunt sibi:
Exempla vitæ, exemplar, exemplo sine,
Regum optimorum, summe REX, non est opus,
Vt tecta ponat, Comici ostendant tibi.
Graues honore statuis, exemplo facis.
Sed metuo mores Comici vt narrent leues,
De Comicis è Comico dictum putes,
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.
Maiora magni fortè sonuerunt chori:
Poterunt placere hic cespes, hæc farra, haud minùs,
In hoc salino: *Iupiter* vultu pari
Capit Aticorum munera, Laconum preces:
Et *Maro Catulli* passerem lætus capit.
Quin cuncta cum lætentur aspectu tuo,
Lætemur & nos, quibus id in votis fuit,
Vt lætus aliquo, vel leui, fieres ioco:
Lætabimur, si lætus aspicias leues.
Beatiores dona dent; nos has preces.
Tua festa Fasti semper æternent mei:
Semper beata, *Augusta* Maiestas tua,
Vxore, prole Regiâ æternet tuos.

Plauserunt.

Ad Regis introitum, è IOANNENSI *Collegio extra portam Vrbis Borealem* sito, tres quasi Sibyllæ, sic (vt *è sylua*) *salutarunt*.

---

1. FAtidicas olim fama est cecinisse Sorores
Imperium sine fine tuæ, REX Inclyte, stirpis.
Banquonem agnouit generosa *Loquabria Thanum*:
Nec tibi *Banquo*, tuis sed sceptra nepotibus illæ
Immortalibus immortalia vaticinatæ:
In saltum, vt lateas, dum *Banquo* recedis ab Aula.
Tres eadem pariter canimus tibi fata, tuisque,
Dum spectande tuis, e saltu accedis ad Vrbem:
Teq; salutamus: Salue, cui *Scotia* seruit.
2. *Anglia* cui, salue. 3. Cui seruit *Hibernia*, salue.
1. *Gallia* cui titulos, terras dant cætera, salue.
2. Quem, diuisa priùs, colit vna *Britannia*, salue.
3. Summe Monarcha *Britannice*, *Hibernice*, *Gallice*, salue.
1. ANNA parens Regum, soror, vxor, filia, salue.
2. Salue HENRICE Hæres, Princeps pulcherrime salue.
3. Dux CAROLE, & perbelle Polonice Regule, salue.
1. Nec metas fatis, nec tempora ponimus istis;
Quin Orbis regno, famæ sint terminus astra:
CANVTVM referas regno quadruplice clarum:
Maior Auis, æquande tuis diademate solis.

Reg. Scot. Duncan

Ang. Canut. Wall. Llhewelyn ap Sitsylht.

Nec ferimus cædes, nec bella, nec anxia corda:
Nec furor in nobis: sed agente calescimus illo
Numine, quo THOMAS WHITVS per somnia motus,
Londinensis Eques, Musis hæc tecta dicauit:
Musis? imò Deo, tutelarique IOANNI.
Ille Deo charum, & curam, propè prætereuntem
Ire salutatum, Christi Præcursor, ad Ædem
Christi pergentem, iussit. Dictâ ergo salute,
Perge, tuo aspectu sit lęta Academia, perge.

M. G.

Errata.

Lege pag. 1. l. 7. *maius fortè*. 22. l. vlt. *luas*.

C 12555
61240

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION